2. fl.

Ex Libris
Joannis Waligorski

MANUALE
CÆREMONIARUM ROMANARUM

Ex Libris Romanis maximè authenticis & Authoribus in hac materia versatissimis

STUDIO AC OPERA

Presbyterorum Congregationis Missionis

Gallico primum idiomate

CONSCRIPTUM

Recens verò in latinum sermonem conversum, & ad usum Ecclesiarum Poloniæ.

ACCOMMODATUM

CULMÆ IN PRUSSIA.

FACULTAS LOCI ORDINARII

Opus, quod inſcribitur: *Manuale Cæremoniarum Romanarum ad uſum Eccleſiarum Poloniæ accommodatum.* Ex Gallico idiomate in latinum ſermonem converſum, & notîs, quæ ad uſum Eccleſiarum Poloniæ ſpectant, illuſtratum, ut in Typographia Noſtra Culmenſi excudi & publicari poſſit, Facultatem Authoritate Noſtra Ordinaria impertimur. Datum Varſaviæ Die 28. Maji Annô 1764.

ANDREAS EPISCOPUS

ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO D.
IGNATIO
DE SUPREMIS DUCIBUS ROXOLANIS
MASSALSKI
VILNENSIUM in LITHVANIA
EPISCOPO

QUod præclaro Nomine Tuo inſignita in lucem prodeat hæc Cæremoniarum Romanarum in latinum ſermonem recens converſa, ac ad uſum Eccleſiarum Poloniæ accomodata Synopſis, id fortaſſis mirùm cuipiam videri poſſit. Cum enim non lateat, Præſul Illuſtriſſime, Te, quâ totius in Magno Ducatu Lithvaniæ Senatûs Principem, maximis quibusquè rebus, manutenendæ ſcilicet publicæ tranquillitati, ſe-

curitati

curitati procurandæ, asserendæ Ecclesiarum immunitati, tuendæ disciplinæ, justitiæ aut administrandæ, aut restituendæ, hîs præsertim cryticis Interregni temporibus, pro ea qua polles & animi magnitudine, & rerum gerendarum peritiâ diu noctuquè distentum esse: vix quisquam cupere possit, ut etiam ad ea, quæ in divino cultu minutiora videntur inspicienda Tibi aut animus, aut tempus supersit.

At non ita se res habet. Excelsus ille & ad magna quævis natus Genius tuus, ita Reipublicæ Bono, in arduis quibusquè maximiquè momenti negotiis vacat & consulit, ut etiam minima quæquè, quæ ad nitorem, splendorem, & majestatem divini cultûs pertinent, nequè negligat nec ullatenus aspernetur: Illos scilicet imitatus ævi nostri Heròes, qui cùm nominis sui gloriâ totum quâ patet orbem, tum belli, tum pacis artibûs impleverint, ad minutissima tamen militaria exercitia descendere, iisquè regulas modumquè præscribere, nec inglorium nec inutile arbitrantur.

Imò etiam sapientissimum illud consilium Moysi á Socero datum, lubens quan- doquè

doquè sequeris Præsul vigilantissime: ut scilicet sæculares, quibus undiquè premeris, curas, in alios felicissimo delectu assumptos viros dispertiens; exemplô primi illius Legislatoris Tu ipse, sis populo in iis, quæ ad DEum pertinent, doceasquè cæremonias & ritum colendi. *Eccl. 18. v. 20.*

Quod igitur opusculum, quamvis mole perexiguum, utilitate tamen, ut sperare licet, non infimum, Te Auctore & Hortatore limatum, ac prælo subjectum est: Auctoritate tum Tua, in vastissima Tua Vilnensi Diœcesi, tum aliorum Regni & M. D. Lithv. Antistitum, in cæteris omnibus Regni partibus executioni mandatum iri confidimus.

PRÆSUL ILLUSTRISSIME
AC
REVERENDISSIME

EXCELLENTIÆ TUÆ

Humillimi ac devotissimi Clientes

Culmæ Calendîs Sextilibûs
M. DCC. LXIV.

Presbyteri Congregationis Missionis.

PRÆFATIO

QUandoquidem eo fine institutæ sunt sanctæ cæremoniæ in Ecclesia, ut DEO Optimo, Maximo, gratior exhibeatur cultus, ut majestas Christianæ Religionis conservetur, utque ad mysteriorum nostrorum contemplationem erigantur hominum mentes, & in cordibus eorum piæ devotionis excitetur affectus; omnino ea sanè adhibenda est cura, quatenus ab Ecclesiasticis viris, omnî quà par est diligentiâ decentiâquè serventur. Eam ob rem, quos eximiæ sanctitatis viros, sæculô mox elapsô, suscitare dignatus est misericors DEus ad Sacerdotii gratiam, spiritumquè in Ecclesia sua renovandum, ex iis multi incubuêre in cæremoniis colligendis, dilucidandis, & in methodum compendiumve redigendis, ut illas nullô negotiô Sacerdotes possent edoceri, utquè desidiosis non superesset ansa objiciendi, difficillimum sibi esse, cæremonias addiscere, in tot libris & absque methodo dispersas obscuro sermone, & à quibusdam tam fusè descriptas, ut sola voluminis moles, ab earum lectione deterreat. Jam non datur ejusmodi quærimoniis locus, ex quo moderni scriptores, materiam cæremoniarum optimè, cum multa methodo, claritate, ac brevitate, pertractârunt: si de condicto scripsissent illi, vitâssent haud dubiè illam, quam in scriptis eorum reperire contingit opinionum diversitatem, utpote quæ cultûs uniformitatem tollens, illius minuit pulchritudinem. Huicce in præsentiarum incommodo istius libelli compilatores iverunt obviam, huncquè finem imponentes sibi, ut res sine ordine priùs, ordinatè disponantur, dubiæ reddantur certæ: controversæ nitantur ultimis decretis: quod ut assequerentur, hæc præstitère: *1mo*. Universas ab Ecclesia tam in Missali, quam in cæremoniali Episcoporum, & Rituali Romano, præscriptas cæremonias, unà cum monitis, & elucidationibus Commentorum, diligentissime lustrârunt, quæ unanimi consensu omnium firmabantur, iis acquieverunt; sed ubi cæremoniale Episcoporum, vel alterius similis authoritatis libri opponi sibi videbantur, diversitas quoquè erat Interpretum, nulli specialiter opinioni adhæsêre, quippe, qui præsentiebant, se nihil in hoc effecturos aliud, quam in eorum incidere partem, eorumquè annumerari cathalogo, qui post longas altercatiónes dissensionesquè decidunt nihil, vel statuunt quid pro quo, quod perinde est, ac res in eodem statu relinquere, manifestare nævum, non emendare; securiorem quapropter ac feliciorem hujusce libelli compilatores, aggressi sunt viam, qui præter continuam librorum, circa cæremonias in lucem editorum, lectionem, & præter authoritatem ac doctrinam, summorum virorum, in hac materia versatissimorum, res, quæ majori indigebant declaratione & certitudine, certitudinem & declarationem, expostulârunt Româ, ne altari servientes circumferantur omni ventô controversiarum, faciantque id, quod vetitum, vel omittant, quod præceptum. *2dò*. Eorundem consiliô factum est, quod in quibusdam hujus operis locis, laudabiles usus in Regionibus, pro quibus elucubratus est

est iste liber, jam dudum recepti, quamvis cæremoniali Episcoporum, minùs conformes, proponantur, idquè juxta factam, ab eodem cæremoniali potestatem, ne, ob singularitatem praxium populus patiatur scandalum: Tandem urbis Romæ (quæ centrum est Religionis, ubi initium sumpsit maxima pars cæremoniarum, quæ ab hac primaria Ecclesia, ad alias omnes pervenerunt) celebriores cæremonialistæ librum hunc non juxta regulas modo, sed juxta Romanam praxim, conscriptum esse, censuerunt.

Igitur, novæ non sunt hæ cæremoniæ, novas enim instituere, uni competit Ecclesiæ, cui sapientiam suam DEus, & authoritatem suam largitur, ad ea præscribenda, quibus cultus Divinæ Majestatis augeatur, & sanctæ Religionis uniformitas, conservetur.

Nihil itaque in hoc opere novi, nisi juncta cum brevitate methodus, brevitatem probat voluminis tenuitas, methodus verò indices perlustranti patebit.

MANUALE

CÆREMONIARUM ROMANARUM

PARS PRIMA

de

Missa Lecta

ARTICULUS PRIMUS

de

Præparatione ad Missam.

I. SAcerdos Missam celebraturus: Matutinum saltem cum Laudibus recitâsse debuit. [a] quin & valde optandum est, ut mentali quoquè orationi aliquid temporis impenderit. Si confiteri cupiat, hoc præstet, antequàm sacerdotales induat apparatus. Siqué opportunum ipsi fuerit; expedit, ut præparatorias in Missali positas orationes priùs recitet.

II. Peracta præparatione, si palliô aut superiori veste indutus sit, ea deponat. Missam absolvendam quærat in Missali, prævideat, ubi opus est, signacula disponat, quô factô claudat Missale, & super eo nihil reponat;

III. Observandum: Missam quantum fieri potest Officio conformem esse debere, Votivamqué di-

(a) Rubr. Miss. *de præparat. Sacerd. num.* 1.

cendam non esse, nisi justa de causa; cum autem se offert occasio Votivam dicendi, illa absolvi poterit quacumqué die, dummodò non sit Dominica, aut festum duplex, vel una ex iis diebus, quibûs nullum celebrari potest festum duplex, nimirùm per Octavas Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes, item feriâ 4tâ Cinerum, totâ hebdomadâ sanctâ, Vigiliis quoqué Nativitatis Christi Domini, Epiphaniæ & Pentecostes. [b]

IV. Parat ipse Sacerdos, vel parari jubet ornamenta, si jam parata non sint, postea lavat manus dicens submissa voce. *Da Domine virtutem manibus meis, ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam Tibi servire.*

V. Deinde si necdum sit adornatus calix, ponit super eo Purificatorium, postea patenam cum integra hostia, quam pollicibûs & indicibûs leviter admotîs tergit in circuitum, ut si quæ hæreant particulæ, decidant, pallâ patenam tegit, postea velum, quod sericeum esse debet, superponit, ac tandem supra velum bursam, quæ complicatum corporale intus contineat, quod ex lino tantum esse debet, nec sericô, vel aurô in medio intextum, sed totum album. [c] si calicem jam ornatum inveniat satis est, ut hostia digitîs in circulum ductîs priùs mundata ponatur supra patenam.

VI. Nota quod crucis effigies nec in medio corporalis, nec etiam in quatuor ejus angulis expressa debeat esse, sed in medio duntaxat marginis, quæ versùs celebrantem porrigi debet, eaqué sita sit oportet ad latitudinem unius circiter digiti, ab extremo ejusdem corporalis: expedit, ut corporale in tres partes primùm complicetur, deinde ut ambo fines replicentur ad intra, antequam plicetur per medium, ne appareant exterius corporalis margines.

(b) Vide Decret. S.R.C. 28. August. 1627. & 10. Decembr. 1718. apud Merati (c) Rubr. Miss. *in Indic. Decret. de præparat. Sacerd. num. 1.*

VII. His ita paratis accedit ad ornamenta, quæ non debent esse lacerata, sed integra, munda, nitida, ab Episcopo vel ab alio potestatem habente benedicta, induit illa vel in sacristia vel alibi extra altare, si tamen eo compellat necessitas, ut se induat ad altare, tunc collocanda sunt ornamenta in cornu Evangelii non autem in medio altaris, cum id solis Episcopis competat. [d]

VIII. Induit ante omnia, si commodè haberi potest superpelliceum, [e] quod sit absque manicis, deinde amictum, in cujus medio positam crucem deosculatur, nullum super se signum crucis efformando, illum imponit capiti, postea collo & ita adaptat, ut eô totum tegatur vestis collare. Funiculîs verò supra pectus in formam crucis ita dispositîs: ut funiculus dextræ partis superponatur alteri, eos circum circa se ducit, & ligat antrorsum, hæc interim verba demissè proferens: *Impone Domine capiti meo, galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus:*

IX. Accipit albam, nisi ab alio porrigatur, & tunc caput parùm inclinat ad illam recipiendam, deinde brachia deducit in manicas, incipiendo à brachio dextro, adaptat albam concinnè circa collum

(d) Decret. S.R.C. 7. Julii 1612. Apud Merat. *in Indic. Decret.* (e) Rubr. Miss. *de præparat. Sacerd. num. 1.*

lum, illam funiculis aut uncinis astringit, & ejus manicas aciculis si opus sit, coercet, dicendo: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.*

X. Cingulum è Ministri manibus recipit, eô se cingit, ut alba ex omni parte æqualiter defluat, & à terra distans unô circiter digitô, nec inferiùs demittatur, ne gressum impediat, interim profert: *Præcinge me Domine, cinguló puritatis, & extingve in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis.* Postmodum strophium cingulô ligat antrorsùm ad dextrum latus ita, ut casulâ humeris imponendâ tegatur.

XI. Accipit manipulum, crucem in eo efformatam deosculatus, illum brachio sinistro, paulò infrà cubitum imponit, eumqué astringit, ne decurrat: dicens: *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

XII. Stolam per superiorem partem, accipit utraqué manu, crucem pariter osculatur, illam collo imponit, & super pectus componit in modum crucis, deducendo partem lateris sinistri ad dextrum & partem dextri ad sinistrum, sed pars sinistra supponitur alteri, alligatqué stolam finibûs cinguli ex utraque parte, proferendo: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi Parentis, & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum:*

XIII. Postremò induit casulam, nullô præmissô osculô, & dum eam funiculis ligat, dicit: *Domine qui dixisti jugum meum suave est, & onus meum leve, fac, ut istud sic portare valeam, quòd consequar tuam gratiam Amen.*

XIV. Dum se ornat ab omni locutione abstinere debet, sed animum intendere ad orationes, quas submissa voce recitat, & ad mysticos ornamentorum sensus.

ARTICULUS II.

de Exitu ex Sacristia & Ingressu ad Altare.

I. Sacerdos postquam sacras vestes induerit, caput tegit pileô vel biretô, deinde manu sinistra calicem per nodum accipit, dextram verò imponit supra Bursam, cujus orificium debet esse versùs ipsum, nihilqué super bursam sive strophium; sive quid aliud reponi debet. [f]

II. Exeundo ex sacristia, crucem, quæ ibi stare debet, inclinatione profunda veneratur detecto capite, si calicem non deferat, & è contra si deferat tecto capite:

III. Observa præter prostrationes & genuflexiones triplex aliud genus esse reverentiarum, quas inclinationes vocant: nimirùm inclinationem capitis mediocrem, & profundam. Inclinatio capitis fit, caput antrorsùm demittendo, & inclinando modicum scapulas pro meliori concinnitate hujus reverentiæ, & modô minùs coactô. Mediocris inclinatio peragitur, cum magis demittitur caput & scapulæ, ita, ut semi-curvetur corpus. Inclinatio profunda fit, incurvando penitùs medietatem corporis

(f) Decret. S. R. C. 1. Sept. 1730. apud Merat. *in Indic. Decret.*

ris, idqué talî modô, ut si brachia infrà extenderentur, manibûs genua attrectari possent.

IV. Gravi ac modesto passu, erecto corpore, demissis oculis, ad altare progreditur ad altitudinem pectoris calicem portans, non tamen ita altè ut visum ad dirigendos gressus præpediat. [g]

V. Si transeat ante altare majus inclinat se profundè Cruci, & si adsit Sanctissimum Sacramentum genuflectit; tecto semper capite quotiescunque calicem defert, & semper aperto si calicem non deferat. Nullam facit inclinationem cæterorum Altarium crucibus, verumtamen si transierit ante altare in quo solemniter expositæ sint insignes reliquiæ alicujus Sancti, de quo officium illa die habeatur, profundè se inclinat perinde ac Cruci altaris majoris.

VI. Nota quod quotiescunque fit mentio de genuflexione nec specificatur utrum uno, an utroque genu fieri debeat, hoc intelligendum sit de simplici genuflexione, quæ altero tantum peragitur genu dextro scilicet, quod ad terram usque flectitur non incurvato corpore, sed capite duntaxat cum scapulis paululum inclinato, eodem tempore quô inflectitur genu, quod uno & eodem actu præstandum est, non verò divisim quasi capitis inclinationi præiret genuflexio.

VII. Si transeat ante altare, in quo sacrum tunc peragitur à consecratione ad Communionem inclusivè, vel ubi sacra Communio pluribus quàm sex aut quinque hominibus distribuitur, caput aperit, & bursa biretum fulciente, flectit unico genu, statimqué se erigit, tegit, & iter prosequitur: idem præstat quando Sacerdoti venerabile Sacramentum

(g) Rubr. Miss. *de ingress. Sacerd. num. 1.*

defe-

deferenti occurrit, & dum altare prætergreditur in quo Sanctissimum Sacramentum in Ostensorio seu Monstrantia expositum est, & in hoc ultimo casu, statim atque in eum ingressus est locum, ubi expositum habetur, biretum deponit, traditqué ministro, illud non recepturus nisi in egressu ex eodem loco; ut autem pileum à capite deponat aliquantulum subsistere debet, cum conveniens non sit, ut ambulando se detegat, maximè dum defert calicem. Quando verò prætergressurus est altare tempore quo ibi fit elevatio vel dispensatur Communio paucioribus quàm quinque aut sex hominibus; ministro tradit biretum genua flectit, & ita permanet, donec finita sit elevatio, & calix super altari repositus, aut donec peracta sit Communionis distributio, erigit se postea, genuflexionem facit, & acceptô pileô tegit se & ulteriùs progreditur.

VIII. Si transeat ante Cardinalem S. R. E. aut Archiepiscopum Provinciæ, aut Episcopum Diæcesanum vel etiam Supremum aut de sanguine Regio Principem, illos omnes inclinatione mediocri & tecto capite si calicem portat, si non, detecto capite inclinatione profunda veneratur. Mediocri pariter salutat inclinatione quos prætergreditur in via Sacerdotes sacrîs vestibûs ornatos, nec ad hoc opus est, ut subsistat, nisi angustus sit locus, & per eum duo simul commodè transire non possint, quo casu qui multò dignior est, prior transire debet, inter pares aut quasi pares celebraturus debet alteri cedere, transitumqué ei, qui jam celebravit offerre, sed incedentes in quo loco obviant sibi, in eo sine ulla speciali observantia salutant se invicem. Quosvis alios Sacerdotes nulla celebrans salutatione prosequitur. IX.

IX. Quamvis per chorum tempore alicujus officii transeundum non sit, si tamen aliter non possit fieri, Sacerdos per illum transiturus, Clerum mediocri inclinatione hinc & inde salutare debet, statim atque ab omnibus commodè videri potest.

X. Cùm ad altare pervenerit, sistit se infrà infimum gradum, ubi deponens biretum dat ministro, quod si pileolum in sacristia non demiserit, hìc ad summum deponere debet; nisi facultatem obtinuerit illum deferendi tempore Missæ quo casu ad Canonem usque retinere potest; sed ab initio Canonis debet deponere, & non nisi peracta Communione reassumere;

XI. Adorat profunda inclinatione Crucem altaris, & si super eo resideat Sanctissimum Sacramentum, locò inclinationis genuflectit super infimo gradu, ascendit posteà ad medium altaris, quô cùm pervenit, calicem collocat, versùs cornu Evangelii.

XII. Acceptam ambabûs manibûs bursam, super altari deponit, ex ea corporale dextrâ manû extrahit; illôqué positô in medio altaris, eâdem manu dextra bursam juxta aut supra gradum Evangelii in cornu ita collocat, ut suprà eam nihil ex cereo defluat: deinde utraqué manu expandit corporale in medio altaris, ad unum usqué à margine digitum, supra ponit calicem suô velô contectum, curam habens, ut sit super consecrato lapide, & ex omni parte obveletur, aut si velum sufficientis ad hoc amplitudinis non sit, tegat saltem anteriora calicis, nec ultra corporalis superficiem defluat:

XIII. Si plures, quam capere possit patena, consecrandæ sint hostiæ, ponit eas super corporali ante calicem [h] ad lævam manum vel in vase aliquo benedicto, pallá aut patenâ, si desit proprium operculum, cooperto, quod ad dextram collocat aliquantulum retro calicem, at semper suprà lapidem benedictum nec extra corporale.

XIV. Præparato calice caput inclinat Cruci, quám semper inclinationem præstare debet, quotiescumque à medio altaris recedit, aut ad illud venit, nisi immediatè ante vel post, eadem inclinatio aut alia profundior fieri deberet. Vertit se postmodùm ad cornu Epistolæ, quò junctîs manibûs tendit, Missale aperit, inspicit an in locis antea signatis reperiantur signacula, apertumquè relinquit librum in loco Introitûs Missæ, quam lecturus est.

XV. Revertitur postea junctîs manibûs ad medium altaris, ubi facta capitis inclinatione, nullâqué aliâ interpositâ morâ, vertit se à sinistro latere, ad dexterum, id est facie versa ad cornu Epistolæ, parum tamen retrogradiendo in partem Evangelii, ne terga vertat Cruci altaris, manibûsqué ante pectus junctîs infra infimum gradum descendit, attamen si plurimi gradus essent, in tertio sistere celebrans posset, aut in alio commodiori.

ARTICULUS III.
de *Principio Missæ.*

I. Celebrans cùm descenderit in planum ante ultimum gradum, stat in medio facie ad altare conversa ante pectus junctîs ita manibûs, ne illîs Casula tangatur, pollice dextro supra sinistrum sic

(h) Rubr. Miss. *de ingress. Sacerd. num.* 3.

ſic aptato, ut crucem efforment, digiti autem omnes ſint pariter extenſi, & ſic conjuncti, ut nullum ſit inter eos ſpatium, extremitatesqué eorum potiùs ad Celebrantis faciem, quàm ad altare dirigantur, profundè ſe inclinat cruci, vel genuflectit, ſi reſideat in Altari Sanctiſſimum Sacramentum.

℟ II. Erectus ſignum crucis efformat manu dextra, admotîs extremìs digitîs ad frontem, pectus & humeros, manu verò ſiniſtra infra pectus repoſita voce intelligibili dicens: *In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti Amen*, quod ultimum verbum proferens jungit iterum manus.

III. Nota. 1. Signum crucis à Celebrante ſemper eſſe formandum manu dextra eaqué extensa, ac digitîs conjunctis, non tamen poſt conſecrationem index á pollice ſeparandus eſt, & cum ſupra ſe illud effingit convertendam eſſe palmam manûs verſus faciem, quando verò efformat illud ſupra aliud quodcunqué, opponere debet auricularem digitum hominibus, aut rebus quibus benedicit, prætterquam dum pollice format ſignum Crucis ſuper Miſſale initiô utriusqué Evangelii, quo caſu palmam ad librum convertit.

℟ IV. Nota. 2. Quotiescunqué Sacerdos unica manu vel ſignum Crucis, vel quid aliud agit, manum alteram quæ otioſa eſt, ſuſpenſam in àëre tenere non debet, ſed eodem tempore vel ſupra pectus vel ſuper altare, vel ſupra librum reponere. Manum defert ad pectus, quando ſe aut Aſſiſtentes ſignat, vel etiam quando aliquid benedicit penes Altare, ad quod latus totaliter vertit, ut dum incenſum, aut Diaconum ante Evangelium benedicit; ponit eam ſupra librum, quando ſuper

℟ Rubr. Miſs. *de princip. Miſs. num.* 3.

ipſum

ipſum Crucem format, ponit eam ſuper altare, quando ſignat aliquid, quod eſt ſupra aut propè altare, uti cùm cineres, cereos, ramos, Subdiaconum poſt Epiſtolam, & alia benedicit, dummodo aliqua ſaltem ex parte converſus ſit ad altare; illam præterea ſupra altare ponit, quoties vertit folia Miſſalis, aut quidquam aliud versâ facie ad altare operatur.

V. Abſolutô ſignô Crucis jam non debet attendere ad ea, quæ in cæteris peraguntur altaribus, id eſt nec genuflectere, nec inclinare ſe, nec morari propter ea quæ alibi fieri poſſunt, quamvis ipſa fieret elevatio.

VI. Caveat imprimis Celebrans ne verba proferat, volubiliùs aut lentiùs aut elatiori voce, quæ alios in Eccleſia eodem tempore Sacra facientes interpellet, ſed voce gravi, uniformi, & diſtincta; ut ab iis qui non procul ab altari diſtant audiri facilè poſſit, eosqué excitet ad devotionem. Quæ verò ſecretò dicenda ſunt, ea voce tali proferat, ut à ſe ſolo percipiantur.

VII. Clara & intelligibili voce recitet Antiphonam *Introibo* & Pſalmum *Judica*. uſque ad orationem *Aufer à nobis*. quæ oratio cum aliis ſequentibus ad Introitum uſqué, ſecretô dici debent. Non omittitur unquam Pſalmus *Judica*: niſi in Miſſis pro Defunctis, & à Dominica Paſſionis incluſivè uſqué ad Sabbathum Sanctum excluſivè, idque ſolùm in Miſſis Sanctorum de quibus officium habetur infra Dominicam Paſſionis; nequè in Miſſis Votivis vel etiam de Cruce & Paſſione, ſi eas illô temporis intervallô contingat celebrari namqué in his omnibus Miſſis recitandus ſemper eſt Pſalmus *Judica*.

VIII.

VIII. Caput inclinat toto tempore, quô profert versum. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* & hoc præstat, quotiescunqué hunc eundem versum dicit: postea repetit Antiphonam. *Introibo ad Altare DEI*, & signat se signô Crucis dicens. *Adjutorium nostrum:*

IX: Dum dicit *Confiteor* junctas habet manus, & profundè inclinatus manet, donec minister finierit. *Misereatur.* nec priùs se erigit; quàm responderit *Amen.* nullius sive Patroni, sive alîus Sancti Nomen addere debet in *Confiteor.* [l] Ad hæc verò *& vobis fratres, & vos fratres.* non se vertit ad ministrum, nec unquam illa in singulari numero profert, & si nemo alius adsit.

X: Dicendo *mea culpa.* ter percutit pectus manu dextrâ, non plana sed extremis ejus digitîs unà conjunctîs, tenet interim sinistram infra pectus. Quô circa attendere debet, ne magno conatu & strepitu pectus percutiatur, neve corporis latitudinem percutiens manus excedat: prolatîs verbîs *mea maxima culpa.* manus illicò jungit.

XI: Post absolutum à Ministro *Confiteor.* Celebrans dicit *Misereatur vestri*; signumqué Crucis efformat super se dicens: *Indulgentiam.* deinde mediocriter inclinatus profert, *DEus tu conversus:* & nec erigit se, nisi post prolatum, & quidem altâ voce, *Oremus*; quod verbum proferens, extendit & attollit manus, quas statim jungit & demittit; erecto postea corpore inchoat submissa voce Orationem *Aufer à nobis*, quam ascendendo gradus Altaris ita recitat, ut eam compleat, quando ad illud pervenit.

(l) Gavant. & Merat. *part. II. tit: III.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

de Introitu, Kyrie, & Gloria in excelsis.

I. CElebrans cùm pervenerit ad medium altaris inclinat se mediocriter, junctasque manus in ejus margine ponit, ita; ut extremitates digitorum auricularium junctorum cæteris, frontem altaris tangant, aliorum verò digitorum extrema mensæ nitantur, & hôc modô junctæ tenentur manus super altare in omnibus occasionibus, etiam post Consecrationem: tali situ dicit: *Oramus te Domine.* ad hæc verba. *Quorum reliquiæ hic sunt* extensîs hinc inde æqualiter ex utraque parte manibûs extra corporale, altaris mappam tangentibûs palmîs, altare non in parte, sed in medio deosculatur; [m] hoc quoque observandum quotiescunque osculandum est altare eô unô exceptô, quòd post consecrationem manus corporali superponantur:

II. Notandum venit 1mò quòd quotiescunque aut altare, aut liber, aut aliud quodlibet osculandum est, nullum præmitti debeat signum Crucis, sive pollice, sive manibûs efformatum. 2dò. Quando expansum est, super altari corporale, Crucem in eo positam osculari debet Sacerdos, non verò coromdem quæ altaria aliquando cingit; & ut altare commodiùs osculari possit aliquantulum ab eo retrocedere debet; quod observari quoque convenit in inclinatione tam mediocri, quàm profunda, licet eas nulla comitaretur altaris deosculatio.

III.

m) Rubr. Miss. *de Introitu num. 4.*

III: Sacerdos post osculum altaris, progreditur junctîs manibûs ad cornu Epistolæ, incedens recta ante se, converso nimirùm latere non vultu ad altare quod semper observare debet; quoties juxta altare incedit: cùm autem pervenerit, vertit se ad illud, & efformando super se signum Crucis inchoat alta voce Introitum, quem junctîs manibûs prosequitur:

IV. A *Gloria Patri*, usque ad *sicut erat*. versus Crucem caput inclinat, illuc quoque vertendo tantisper corpus [n] junctîs semper manibûs, postea Introitum repetit, nullum faciens signum Crucis.

V. *Gloria Patri* semper dicitur in Introitu exceptis Missîs de tempore à Dominica Passionis usque ad Pascha; sed nunquam omittitur in Missis Sanctorum, aut Votivis: tempore Paschali Introitui superadditur duplex *Alleluja*.

VI. Sacerdos finito Introitu junctîs manibûs accedit ad medium altaris, ubi alta voce alternatim cum ministro ter dicit: *Kyrie eleyson* toties *Christe eleyson*, & rursus ter *Kyrie eleyson*. quæ non priùs incipit, quàm ad medium altaris pervenerit [o] ibique inclinationem capitis ad Crucem direxerit: Si ministri, aut alii adstantes non responderent, Sacerdos novies ea diceret, unô & eôdem vocis tonô, & hôc modô alia quæ omittuntur à ministro supplet voce intelligibili exceptò *suscipiat*. post *Orate fratres* quod in defectu ministri à Celebrante dicendum esset voce submissa, quia tunc proprio nomine loquitur Sacerdos, dicendo; *de manibus meis*.

(n) Bauldr. part. 3. tit. 4. rubr. 2. num. (o) Rubr. Missalis. *de Introitu Miss. num.* 2. & Merat *part.* 2. &4.

VII. Dictô ultimô *Kyrie eleyson*: Celebrans, erecto stans corpore ad medium altaris extendit, & attollit manus juxta corporis latitudinem & humerorum altitudinem, humerîs tamen immotîs (quod semper observandum quoties attolendæ & extendendæ sunt manus] eôdem tonô vocis non elevatîs in altum oculîs [p] dicit, si dicendum occurrat. *Gloria in excelsis*: ad hoc verbum *DEO*. jungit iterum manus ante pectus, & Cruci caput inclinat, erigit se statim & prosequitur junctîs ad finem usque manibûs; non sine capitis inclinatione profert. *Adoramus Te. Gratias agimus Tibi. Jesu Christe; suscipe deprecationem nostram*: ac iterum *Jesu Christe*. in fine dum dicit *Cum Sancto Spiritu &c.* Super se signum Crucis efformat, ac rursus manus jungit proferendo *Amen* [q] quod semper præstare debet post omnia, quæ super se manu format signa Crucis.

VIII. Dicitur *Gloria in excelsis*. quotiescunqué in matutino dictus est Hymnus. *Te DEum*. Si Missa cum Officio concordet; juxta quam regulam dici non debet in Missis Votivis, etiam in tempore Paschali, exceptîs quidûsdam casibûs inferiùs notatîs, nec in Missa Rogationum, quæ Feriâ 3tiâ ante Ascensionem celebratur, nequé in Missis pro Defunctis, nequé in Vigiliis tam Apostolorum SS. Petri & Pauli, quàm Assumptionis B. M. V. quia in his casibus etsi dictus sit hymnus *Te DEum* in Matutino: Missa tamen cum officio non concordat.

(p) Merat. *part. II. tit. IV. rubr.* 3. & Bauldr. *part.* 3. *de ritibus servand.* cap. XI. (q) Gavant. in Rubr. III. *de Introit. Miss. part. II. tit. IV.*

IX. Excipiuntur ab hac Regula, Missæ sequentes in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, etiamsi Hymnus *Te DEum* dictus non fuerit, avt illa cum officio non concordent: quales sunt Missæ feriæ 5tæ in Cæna Domini & Sabbathi Sancti, Missæ Votivæ de Angelis quocunque die & de B. M. V. in Sabbatho quovis tempore. Item Missa alicujus Sancti in die ejus obitûs, quamvis de illo nec Officium, nec ulla facta fuerit commemoratio; ac demum Missæ Votivæ, quæ solemniter decantantur in magno Cleri & populi concursu, pro re aliqua gravissimi momenti, aut pro publico Ecclesiæ bono, nisi tamen juxta rubricas hujusmodi Missæ exigerent violacei coloris apparatus, quibûs cùm ex decreto S. Congregationis Rituum lato 19na Maji 1607. nunquam dici debet. *Gloria in excelsis.* neque *Credo* [r] nisi Dominicîs diebûs

ARTICULUS V.
De Orationibus

I. COmpletô *Gloria in excelsis* aut si omitti debeat dictô ultimô *Kyrie eleyson*; Celebrans osculàtur altare, extensîs super eo hinc & illinc manibûs, erectus jungit eas ante pectus, & demissîs oculîs vertit se ad populum per eam partem quæ cornu Epistolæ respicit, extendit & extollit aliquantulum manus, quas illicò ut ante, iterum jungit pronuntians alta voce: *Dominus vobiscum*: sine ulla capitis inclinatione; caveat interim ne dorsum altari fulciat, quod in simili casu semper cavendum est.

(r) Vide Merati *in Indic. Decret.*

II.

II. Observa 1mo quod cum Celebrans extendit manus ut eas statim jungat simul debet easdem elevare juxta Cæremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 19. & usum probatiorem, velut dum dicit. *Dominus vobiscum* ad populum conversus, aut *Oremus*: *Gloria. in excelsis Credo. Veni Sanctificator.* & alia quibus in casibus manus primùm extendit, illas deinde tantisper elevat, hoc est ad altitudinem duntaxat humerorum juxta Rubricas Missalis tit. 40. n. 3. & Episcoporum Cæremoniale. lib. 2. cap: 7. jungitqué ante pectus uti priùs. Sunt & alii casus in quibus juxta Missale & Cærem. Episcop. aliquantulum elevandæ sunt manus, sed hæc in propriis locis infra videbuntur.

III. Observa 2do. Quòd ii qui perspiciliîs utuntur debeant priusquam se ad populum vertant ea deponere, & circa corporale super altari collocare.

IV. Si celebretur in Altari ita dispositô ut Celebrans facie versa sit ad populum, tunc non vertit se. ad *Dominus vobiscum. Orate fratres*: & *Ite Missa est.* nec quando danda est benedictio, sed factô ad medium altaris osculô, prædictîs verbîs populum salutat, vel ei benedictionem impertitur. [s]

V: Dictô *Dominus vobiscum*, ut eat ad Librum cum majori gravitate, & decentia, priùs dextrum pedem movere debet, namqué hôc pactô tres progrediendo passus appositè ad librum perveniet.

VI. Junctas habet manus eundo ad librum, & cum ad eum pervenit illas extendit & elevat; iterumqué statim jungit ante pectus, prout antea dictum est, inclinansqué caput versùs Crucem clara

(s) Rubr. Miss. 3. *de oratione.*

voce profert. *Oremus.* & eodem tono prosequitur orationem, stans disjunctis, & ita sublatis manibus, ut altera palma ad aliam sit conversa, & ut digitorum extrema, nec supra humerorum altitudinem; nec extra corporis latitudinem protendantur, quod observari debet quoties ante pectus tenentur manus expansæ.

VII. Ad Conlusionem *Per Dominum nostrum* jungit manus usqué ad finem; at si aliter concludatur Oratio, scilicet *Qui tecum* aut. *Qui vivis* manus jungit nonnisi ad hæc verba in *unitate* &c: quamvis immediatè ante hanc Conclusionem. *qui tecum* aut *Qui vivis* dixerit *Dominum nostrum Jesum Christum*, *filium tuum.* quæ verba in Oratione Sancti Stephani, & in nonnullis aliis reponuntur: non se vertit pro Conclusione Orationum ad Crucem nisi occurrat nomen *JESUS.* quod in Missa nunquam pronuntiatur sine capitis inclinatione dirigenda vel Cruci, vel Sanctissimo Sacramento si sit in altari, sed dum legitur Evangelium inclinatio fit versùs Missale ut inferiùs dicetur.

VIII. Caput quoqué inclinat sine conversione ad Crucem, quando profert Nomina vel Beatissimæ Virginis, vel aliorum Sanctorum, quorum Missa celebratur, aut fit commemoratio; similiter ad Nomen Papæ tam in Oratione quæ pro ipso aliquando dicitur, quàm in Canone Missæ.

IX. Notandum circa istam inclinationem ad Nomina Sanctorum. 1mò quod fieri non debeat ad prolationem Nominum quæ interdum exprimuntur in titulis Epistolarum & Evangeliorum [t] fiat autem in aliis Missæ locis ubi speciali venera-

(t) Gavant. & Merat. *part. II. tit. IV. de Orat.*

tione

tione proferuntur, ut in Orationibus, in Epistola, in Evangelio, in Canone &c. 2do. Quòd omittatur in communibus Sanctorum suffragiis, nimirùm in Oratione. *A cunctis.* At in particularibus duntaxat commemorationibus fiat, quales sunt, quæ in festis Sanctorum, aut in eorum Octavis habentur. 3tio. Quod fiat in Missis Votivis perinde, ac in ipso festi die. 4to. Quod per Nomina Sanctorum, ad quæ fieri debet inclinatio, intelliguntur sola nomina propria, non verò aliæ dignitates aut officii appellationes.

X. Quando plures Orationes occurrunt ad initium primæ duntaxat & secundæ dicitur *Oremus* atque Conclusio *Per Dominum* aut alia quævis additur tantummodo ad finem primæ, & ultimæ; dicuntur autem hæ omnes orationes, prout superiùs dictum est.

XI. Quatuor temporibùs, & aliis diebùs, quibùs plures Orationes, & prophetiæ dicendæ sunt, Sacerdos dictò ad medium Altaris *Kyrie eleyson.* Cruci caput inclinat, & ad cornu Epistolæ redit, ubi consvetò modò dicit *Oremus* atquè si dicendum sit *Flectamus genua*, extensìs & innixìs manibùs super Altari genuflectit, & illicò sese erigit, statim atqué minister responderit: *Levate.* Sacerdos expansìs manibùs inchoat, & prosequitur Orationem, pro cujus conclusione manus iterum jungit; sed Prophetias legit manibùs innixìs libro aut Altari, quemadmodum inferiùs dicitur ubi de Epistola.

XII. In festis duplicibus unica dicitur Oratio, nisi addenda sit commemoratio quædam jam habita in officio. Quo circa notandum, quando de Festo simplici est commemoratio in primis vespe-

ris,

ris, de eodem commemorationem habendam esse, & in Missa, quando verò in Laudibus tantùm, tunc de eo in Missis quidem privatis, non verò in solemnibus commemorationem debere fieri. Excipiuntur Dominica Palmarum & Vigilia Pentecostes, quibûs diebûs una duntaxat Oratio semper dicitur sine ulla prorsus commemoratione, licet in officio facta fuerit de simplici festo.

XIII. Debet fieri commemoratio Dominicæ quando die eo celebratur festum aliquod duplex; sed quando infrà quamlibet Octavam Officium fit de Dominica, aut de alio festo, fit commemoratio Octavæ; nisi festum sit in solemnioribus & iis quæ per Breviarii Rubricas excipiuntur.

XIV. In festis duplicibus, aut semiduplicibus cadentibus in feriis Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum; & Vigiliarum non debet omitti commemoratio feriarum hujuscemodi; at verò in Ecclesiis Cathedralibus; Collegiatis protunc (exceptis tamen feriis Adventûs quæ propriam Missam non habent) [u] duæ Missæ celebrantur, prior de festo, posterior de feria, in neutra fit alterius commemoratio. Si verò festum primæ Classis sit, de Vigilia in eum diem cadente nihil fit tam in Missa, quàm in Officio.

XV. Pro commemoratione feriæ, quatuor temporum, eligitur prima Oratio post Introitum, & hæc eadem est quæ in Officio dicitur.

XVI. Diebûs Dominicis & Festis semiduplicibûs tres tantùm, nisi majorem numerum occurrentes commemorationes requirant, dicuntur orationes, prout in Missali notantur. Excipiuntur

(u) Rubr. Miss. *tit. de Fer. & tit. de Commem.*

tamen

tamen Dominicæ sequentes. 1mo. Dominicâ Palmarum, in cujus Missa, quod supra retulimus, unica oratio dicitur. 2do. Dominica in Albis. quâ die similiter tantum una dicitur, nisi facta fuerit in Officio de festo simplici commemoratio. 3tiò. Dominicâ Passionis, in qua duæ solummodò dicuntur, & cum occurrit commemoratio de simplici festo, tum omittitur Oratio pro Ecclesia vel pro Papa, quæ aliàs secundô locô haberetur; namqué commemorationes communes cedunt toto anni decursu particularibus Sanctorum tunc occurrentium suffragiis; itaqué cum numerus duarum orationum quem Rubrica huicce Dominicæ propria præscribit, cum exclusione tertiæ complectar per commemorationem festi simplicis, omittenda est proinde Oratio *Ecclesiæ vel pro Papa*, atqué ita fert usus Romæ receptus, & Decretis S. R. C. firmatus [x] 4to. Duæ & non plures pariter dicuntur in Dominica Trinitatis, sicut & in illis, quæ infra Octavas contingunt nisi de festo simplici occurrat commemoratio.

XVII. Infrà octavas Paschæ & Pentecostes orationes non nisi duæ dicuntur *prima* diei, *secunda* verò *Ecclesiæ* vel pro Papa; omittitur autem hæc posterior cum fieri debet commemoratio de festo simplici hac die occurrente ob relatam numerô præcedenti rationem. Jam verò infra cæteras Octavas, dicuntur tres orationes, si quæ nulla sit habenda commemoratio particularis. Secunda Oratio est *Concede nos*. tertia verò. *Ecclesiæ* vel pro *Papa*, quò ad tertiam nulla est mutatio; non item quò ad secundam, hæc enim sæpius mutatur,

(x) Decret. S. R. C. 15 Septemb. 1736. apud Merat. *in Indic. Decr.*

in

in ejus locum dicitur infra Octavam Epiphaniæ. *DEus qui qui salutis*; & infra Octavas festi Omnium Sanctorum, ac Festorum B. M. V. *DEus qui corda fidelium*: Ipso die octavæ, cum officium sit duplex unica oratio dicatur, si nulla commemoratio intercesserit.

XVIII. Tres quoque orationes dicuntur in Missis Vigiliarum, exceptis Vigiliis Nativitatis ac Pentecostes, in his enim duntaxat una dici debet. Sed si Vigilia Nativitatis incidat in diem Dominicum tunc in Missa Vigiliæ fieri debet commemoratio de Dominica.

XIX. In festis simplicibus & feriis tres dicuntur Orationes, sicut in semiduplicibus, quin & dici possunt, aut quinque & septem aut plures ad celebrantis devotionem, dummodò numerô imparî, nisi quid contrarii ferat Missale quemadmodum in eo præscribitur pro feriis infra Dominicam Passionis usqué ad feriam quartam majoris hebdomadæ inclusivè, in quibus duæ tantùm dicuntur Orationes omissa Oratione *Ecclesiæ* vel pro *Papa*, si tunc occurrat commemoratio simplicis festi juxta superiùs dicta de Dominica Passionis n: XVI. non ita res se habet circa Missas Festorum semiduplicium infra hebdomadam Passionis occurrentium, nam in illis tres habentur orationes more solito scilicet feriæ secundô locô, tertia verò pro *Ecclesiæ* vel pro *Papa*. Verùm in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis ubi duplex hisce diebus Missa cantatur, altera de semiduplici, de feria altera, in utraqué duæ tantum orationes dicuntur, diei videlicet, & pro *Ecclesia* vel pro *Papa*. Quòd si infra hanc eandem Passionis Dominicam celebraret quis justa de causa votivam Missam, tres in ea

ea dicendæ forent Orationes, quarum secunda foret de feria, tertia verò *Ecclesiæ* vel pro *Papa*.

XX. In Missis votivis tres dicuntur Orationes, quinque aut plures dici possunt, ut in Festis simplicibus. Secunda oratio debet esse, quæ in officio dicta est, sed tertiô locô ea dicitur, quæ secundô locô poni debuisset, si fuisset Missa officio conformis, illa verò Oratio, quæ tertia fuisset, in Missa diei, dummodò non sit specialis commemoratio in officio facta, sed communis duntaxat, omitti potest etiamsi per Rubricam determinetur; si quis autem vellet eam dicere, aut si particularis esset commemoratio quæ non deberet omitti opus foret ratione numeri imparis quintam, eamqué votivam superaddere: idem servatur quoties habetur Missa de Patrono, aut Titulo alicujus altaris in ejus festo, de quo tunc officium non fuit. Excipiuntur Missæ votivæ, quas solemniter celebrare contingit, pro re maximi momenti, aut propter publicum Ecclesiæ bonum, in iis enim unica dicitur Oratio, in Missis tamen pro gratiarum actione, additur secunda oratio notatô locô, eaqué sub una & eadem conclusione primæ conjungitur, uti præscribit Missale auctoritate Urbani VIII. Papæ recognitum. Quod si Missa pro gratiarum actione tantæ non sit solemnitatis, ut excludat consvetas commemorationes parî modô, oratio pro gratiarum actione assignata immediatè post primam, sub eadem conclusione dicitur, quia ambæ dicuntur ut unica.

XXI. Orationes communes in Missali assignatæ, pro 2do & 3tio loco non omittuntur nisi particularibùs quæ in officio diei occurrunt commemorationibûs orationum numerus compleatur. Si una

una tantum occurrat particularis commemoratio-tunc tertiô locô dicitur oratio illa quæ pro ſecundo erat aſſignata, & omittitur, quæ aliàs tertia fuiſſet.

XXII. Quando in feſtis ſimplicibus & feriis Orationes aliquot in Miſſali pro illo die non aſſignatæ ſuperadduntur ex devotione, dicendæ illæ non niſi poſt Orationes communes pro ſecundo & tertio loco præſcriptas: idem obſervatur cum pro negotio gravi ad bonum publicum ſpectante mandat Epiſcopus ut per certum quoddam tempus *Oratio. DEus refugium noſtrum.* aut alia conveniens quotidie dicatur; namque illa oratio, vel in locum tertiæ, ſi hæc juxta Rubricas ad Libitum Sacerdotis ponitur, vel tanquam nova commemoratio ita ſuperaddi debet, ut nulla ex præſcriptis in Miſſali prætermittatur, debitusque compleatur numerus; quatuor videlicet orationum in Dominicis & ſemiduplicibus, quinque verò aut ſeptem in feſtis ſimplicibus, feriis, ac Miſſis votivis; verum juxta Decretum Sacræ Congregationis Rituum die 29. Auguſti 1627. prædicta Oratio in feſtis primæ Claſſis omitti debet, prætermittitur etiam in ſolemnibus Miſſis feſtorum ſecundæ Claſſis.

XXIII. Ordo inter orationes ſervandus poſtulat, ut oratio de Dominica præponatur orationi de die infrà Octavam hæc orationibus de feria majori & de Vigilia, iſtæ orationi de feſto ſimplici, oratio de ſimplici præcedit Orationes communes pro ſecundo & tertio loco notatas, quibus poſtponuntur orationes votivæ, quæ adduntur ex devotione. Jam verò Votivæ orationes de Sanctiſſi-

(y) Vide Merat. *in Indic. Decret.*

ma Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sanctiſſimo Sacramento, & de Cruce prætermittuntur orationibus de B. V. M. de Angelis & de Sancto Joanne Baptiſta, hæ verò antecedunt orationes de Apoſtolis, penultimum locum occupat ſemper commemoratio pro Defunctis ſi fieri debeat.

XXIV. Ubi dicit Rubrica tertiam Orationem ad arbitrium eſſe Sacerdotis, hoc non eo intelligendum ſenſu quòd pro libitu poſſit Sacerdos illam dicere vel omittere, ſed ſolùm, quòd licitum ei ſit quamcunqué voluerit eligere in Miſſali juxta ordinem à Rubricis præſcriptum, quin etiam hoc in caſu, ſi coram aliquo ſibi Superiore aut Clero pro Miſſa ſolemni coacto celebret, non debet ex modeſtia orationem dicere cui præfixus eſt titulus pro ſe ipſo Sacerdote, ſed aliam potiùs eligere, quæ Superioribus aut Clero magis congruat, niſi ab hac & illa diverſam dicere maluerit.

XXV. In oratione *A cunctis.* æqué ac in ejus poſtCommunione ad literam N. Patroni, aut Titularis Eccleſiæ nomen & non aliud quodvis ſuo ordine proferendum eſt; hoc eſt poſt Apoſtolos, ſi digniores ſint, vel ante illos, ſi dignior ſit Patronus, ut eſt Sanctus Michael, & Sanctus Joannes Baptiſta, quo caſu dicendum in præfata Oratione hoc modo, *cum B. Michaele Archangelo vel cum Joanne Baptiſta, atqué Beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo & omnibus Sanctis*: ſi celebretur Miſſa Votiva de Sto Patrono prætermitti debet in oratione *A cunctis.* ejus Nomen, in cujus locum pro devotione celebrantis poteſt aliud poni.

XXVI. Si duæ Orationes in eadem Miſſa dicendæ occurrant ſimiles, mutanda ea eſt, quæ ultimô locô dici debuiſſet, in ejus locum accipien-

da est altera de communi vel etiam de proprio si adsit. Si secunda oratio quæ mutari debet sit Oratio Dominicæ aut feriæ, quæ aliquando eadem potest esse, ac Sancti alicujus de quo festum celebratur, uti contingit in festo Quadraginta Martyrum, quando incidit in feriam quintam post diem Cinerum, atqué in festo Sancti Martini Confessoris, dum cadit in Dominicam vigesimam secundam post Pentecosten quorum secreta sunt similia, tunc enim accipi debet oratio Dominicæ aut feriæ sequentis, in Missis votivis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli dicitur Oratio de B. V. M. *Concede nos.* locò orationis *A cunctis.* quando hæc pro illo assignata est tempore.

XXVII. Concluduntur Orationes sequentî modô, si dirigatur oratio ad DEum Patrem, sic concluditur. *Per Dominum nostrum JEsum Christum* &c. si ad Filium: *Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate* &c. si in principio Orationis de Filio mentio facta sit dicitur in Conclusione *Per eundem Dominum.* si verò in fine Conclusio debet esse. *Qui tecum vivit & regnat.* Demum si de Spiritu S. mentio sit in Oratione, additur in conclusione verbum ejusdem. hôc modô *in unitate ejusdem Spiritûs Sancti.*

ARTICULUS VI.
De Epistola usqué ad Offertorium.

FInitîs orationibûs Epistolam Sacerdos eôdem tonô legit, disjunctîs supra Missale aut altare manibûs, vel palmîs librum tangat, vel illum prout ipsi videbitur præ manibus teneat, ad ultima tamen

tamen Epistolæ verba, vocem parum inflectit, ut inde dijudicet minister, quòd respondendum sit *Deo gratias.* idem præstat sub finem Evangelii post Epistolam eôdem modô legit *Graduale*, versus aut tractum & prosam ubi dicenda sunt; si ad aliquot Epistolæ verba, vel ad versum sequentem flectendum sit, innixis Altari manibûs flectit unicum genu.

II. Per totum anni decursum exceptîs infrà specificatîs temporibûs *Graduale* dicitur post Epistolam cum duobus *Alleluja* ante & post versiculum sequentem.

III. Tempore Paschali duo versiculi, & quatuor *Alleluja* loco *Gradualis* dicuntur, juxta ordinem in Sabbatho in Albis præscriptum, omittitur *Alleluja.* cum suo versu, à Dominica Septuagesimæ inclusivè, usqué ad Sabbathum Sanctum exclusivè, item in Missis ferialibus in Adventu, quando Missa Dominicæ præcedentis resumi debet; Quatuor temporibûs & Vigiliîs cum jejuniis. Excipitur Vigilia Nativitatis Christi Domini cadens in Dominicam diem. Excipiuntur & Vigiliæ Paschatis ac Pentecostes cum quatuor temporibus infrà hujus Octavam incidentibus. In festo quoqué Sanctorum Innocentium non dicitur nisi hoc festum incidat in Dominicam. A Septuagesima usqué ad Pascha in locum *Alleluja:* & versiculi dicitur *Tractus*; quibûsdam tamen feriîs Quadragesimæ exceptîs, uti in suo loco notatum habetur; nec non & iîs feriîs, in quibus à Septuagesima ad Quadragesimam resumitur Missa Dominicæ.

IV. Sacerdos postquam Graduale, aut alia quæ Epistolam sequuntur dixerit, ad medium altaris progreditur, junctîs ante pectus manibûs, iîsque ita compositîs, nec extensîs, nec altari innixîs, oculos attol-

attollit, quos illicò demittit, & inclinatus profundè, submissa voce recitat: *Munda cor meum* &c. *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo* &c.

V. Completâ hâc oratione procedit ad librum, stansque ad illum semiversus ad altare manibûs junctis profert alta voce. *Dominus vobiscum* tum *sequentia.* vel *Initium Sancti Evangelii* &c. Interim suprà locum ubi incipit Evangelium, interior dextræ manûs pollice ab aliis digitis una conjunctis & extensis ad hunc effectum disjuncto, signum Crucis efformat, quo tempore sinistra manus libro debet inniti, quam pauló post infra pectus ponit, [z] quando videlicet in fronte, ore, & pectore, tres alias parvas Cruces palmâ manûs versâ ad se ipsum dextro pollice effingit.

VI. Iterum jungit manus, & eôdem tonô Evangelium prosequitur, in cujus fine sublatô tantisper Missalî, principium textûs Evangelii deosculans dicit. *Per Evangelica dicta*; &c. præterquam in Missis Defunctorum. Ad sacratissimum Nomen *JESUS* quando profertur intra Evangelii lectionem Sacerdos caput inclinat ad librum, & si genuflectit, etiam versus Missale, suffultîs altari manibûs.

VII. Admovet librum cum pulvinari aut pulpito non raptando ipsum quem ita penes corporale collocat, ut à medio altaris legere commodè queat. Deinde si sit omittendum *Credo*, cum pervenerit ad medium altaris illud osculatur; sed si *Credo* dici debeat extendit, & attollit manus, non elevatîs oculîs, altaqué voce inchoat *Credo.* manus demittit, ac iterum jungit, ad hanc vocem *unum* inclinato capite *ad DEum*, cætera junctis manibûs prosequitur. VIII.

[z] Gavant. & Merat. *part. II. tit. IV.*

VIII. Caput inclinat ad hæc verba. *JEsum Christum simul adoratur.* proferens autem *Et incarnatus est* devotè ac lentè genuflectit, quoadusqué dixerit. *Et homo factus est* quibûs verbís prolatîs erigit sese: ad hæc verò *& vitam venturi sæculi*, signat se signô Crucis, jungitqué manus dum profert. *Amen.* (a)

IX. Symbolum Apostolorum post Evangelium dicitur singulís diebûs Dominicís, vel illís etiam qui vacant, aut in quibus officium fit de Sancto, in cujus Missa alias non diceretur. Dicitur quoqué in tribus Missis Nativitatis Christi Domini nostri: & sequentibûs diebûs ad Octavam inclusivè Sti Joannis Evangelistæ, in Festo Trium Regum; in Cæna Domini, in Resurrectione, Ascensione, & Pentecosten, in Festo Corporis Christi, Omnium Sanctorum, in omnibus Festis B. V: MARIÆ Apolorum & Evangelistarum, atqué per totas eorum Octavas; insuper dicitur in utroqué Festo Cathedræ Sancti Petri, & ad vincula ejusdem; in Conversione commemoratione Sti Pauli, Sti Joannis ante Portam latinam, Sti Barnabæ Apostoli; in Inventione & Exaltatione Stæ Crucis; in Transfiguratione Domini, in Festis Sanctorum Angelorum, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sanctorum Doctorum Ecclesiæ, Gregorii Papæ, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Thomæ de Aquino, Bonaventuræ, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, & Sancti Joannis Chrysostomi, Leonis I. Papæ. In [a] Octava Sti Joannis Baptistæ, & Sti Laurentii, in Dedicatione Ecclesiæ Sti Salvatoris, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in Anniversario Dedica-

(a) Gavant. *part. II. tit. VI.* & Bauldr. *part. 4. tit. 4. num. 2.*

dicationis Ecclesiæ, propriæ & per Octavam; in die die Consecrationis Ecclesiæ aut altaris; in Festis SS. sub quorum nomine dedicata est Ecclesia, & quorum habentur corpora, aut aliæ insignes Reliquiæ, ut sunt caput, brachium, tibia, aut pars illa corporis in qua passus est Martyr; dummodo integra justæqué sit magnitudinis. In die creationis & coronationis Papæ, & in ejus anniversario. In die & anniversario Electionis, ac Consecrationis Episcopi. Rursus, Symbolum dicitur in festis quibuscunqué, cadentibus in Dominicam, aut infra Octavam illud exigentem. Item in Festo Patroni loci, aut Titularis Ecclesiæ; non autem in festo Tituli Capellæ, aut altaris. In præcipuis festis Ordinum Religiosorum, & per eorum Octavas; sed in Ecclesiis duntaxat ejusdem ordinis; ac tandem in Missis Votivis, quæ solenniter in negotio gravi, aut pro publico Ecclesiæ bono celebrantur Symbolum dicitur, vel etiam in apparatu violaceo, si sit dies Dominica.

X. Jam verò *Credo* semper omittitur in Missis pro Defunctis, & in Missis Rogationum & Vigiliarum; etiamsi in Octavam incidant, infra quam in aliis Missis dicendum foret; exceptis tamen Vigiliis Nativitatis & Epiphaniæ Christi Domini, in quibus *Credo* dicitur, si in diem Dominicum cadunt.

ARTICULUS VII.

De Offertorio ad Canonem usqué.

I. POst Symbolum, vel si omitti debet, post Evangelium, stans in medio altaris Celebrans illud

illud osculatur, sequé ad populum vertit ut dicat solito more: *Dominus vobiscum.*

II. Per quam partem se verterat ad populum per eandem dictô *Dominus vobiscum* statim se convertit ad altare, ibique manibûs extensîs primùm, deinde elevatîs ac demum junctîs ante pectus, inclinat caput Cruci dicendo. *Oremus*: Alta voce, postea junctîs manibûs, legit Offertorium cui addit tempore Paschali unum *Alleluja.*

III. Dictô Offertoriô Celebrans discooperit Calicem removendo ab eo velum ambabûs manibûs [c] quod in quatuor partes extra corporale ad cornu Epistolæ ita componit, ut pars illa, quæ pulchrior est, sit extra, illudqué collocat juxta gradum, corporale inter & altaris angulum in eadem parte Epistolæ.

IV. Deinde dextram, lævâ super altari positâ admovet ad Calicem, quem per nodum accipit, & in partem Epistolæ extra corporale collocat, posthac pallam, quam intra Calicem & corporale ponit, aliquantulum erectam, aut supra marginem veli, aut contra gradum, ut quando opus erit, faciliùs recipiatur.

V. Dextra manu accipit cum Hostia patenam, quam ante se defert, admota quoqué altera manu, elevat illam ad pectoris altitudinem, cinctamque tenet pollicibûs & indicibûs, cæteris verò digitis sub ea interim junctîs ac extensîs, oculos elevans ad cælum statimqué deprimens, submissè dicit: *Suscipe Sancte Pater* &c.

VI. Si plures sint Hostiæ consecrandæ intentionem ad omnes simul offerendas & consecrandas dirigit, dicitqué ut supra: *Suscipe Sancte Pater,* &c.

(c) Vide Merati *part. II. tit. IV.*

&c. qua completa oratione, supra corporale signum Crucis patenâ efformat, quam interim ambabûs tenet manibûs ad eandem altitudinem. Postea circa medium anterioris partis corporalis super lapide consecrato hostiam deponit, quod præstare potest, quin eam manu tractet, patenam deinde ita ad partem Epistolæ collocat, ut media pars ejus corporali tegatur, & à margine altaris distet, quantum opus est, ne manibûs eam attingat, dum iis initi debet altari.

VII. Advertendum, quòd si Hostiæ minores in aliquo Calice, vel in alio vase reconditæ sint, quòd reponi debet, post Calicem Missæ, ita ut sit inter ipsum calicem & tabellam secretarum, [d] vas illud discooperit, antequam incipiat. *Suscipe Sancte Pater.* necesse autem non est, ut è loco dimoveatur, nec ut elevetur ad oblationem faciendam; postquam verò finierit, Hostiamqué ac patenam, ad competentia loca reposuerit, si propriô operculô vas careat, cooperit illud pallâ aliquâ, aut aliâ patenâ. Si minores Hostiæ corporali superpositæ sint, eas in parte Evangelii relinquit, duobus circiter digitis, ab Hostia majori distantes, si paucæ numerô sint, illas unà cum Hostia majori offert in patena; & oblatas suo loco reponit.

VIII. Si post factam oblationem, hostia minor ipsi afferatur consecranda, acceptare illam potest, justâ de causâ, dummodo detur ante præfationem. Sufficit in hoc casu mentaliter illam offerre, brevi ascensu mentis ad DEum, nec *suscipe* repetere opus est.

IX. Junctis postea manibûs caput inclinat Cruci, & ad cornu Epistolæ transiens, Calicem ma-

(d) Merat. *part. II. tit. IV.*

una

nu sinistra accipit per nodum, dextrâ verò Calicis cuppam extergit purificatoriô, quod eam ob rem in fundum usque duobus aut tribus digitis demittit, pollice supra idem purificatorium extra posito, semel aut iterum manum ita in circuitum ducens. Si debilis sit pes Calicis, aut si cuppa pedi firmiter non hæreat, ne frangatur aut dissolvatur calix, expedit illum per infimam cuppam tenere dum abstergitur.

X. Dum sinistra manu Calicem per nodum & alterô ejusdem digitô, juxta pedem Calicis pendulum purificatorium per medium tenet, dextrâ recipit urceolum à ministro porrectum, ex eo quantum sibi videtur, infundit in Calicem, tunc altari innixum, & tantisper inclinatum, qua parte infunditur; item Celebrans curet, ut quantum fieri potest, urceolus immineat pelvi, ne ulla gutta in altaris mappam decidat.

XI. Redditô urceolô vini, producit signum Crucis, super ampullam aquæ, & dicit demissè *DEus qui humanæ substantiæ*, hanc posteà recipit, & aliquot ex ea guttas infundit in Calicem dicens: *Da nobis per hujus aquæ & vini mysterium* &c.

XII. Si intra Calicem aliquot reperiantur separatæ guttæ, unit illas paulatim vertendo huc & illuc vinum in Calice contentum, vel purificatoriô abstergit, antequam ab angulo Epistolæ recedat, Calicem versùs medium altaris admovet, ità ut commodè possit illum cum pervenerit; recipere, sed interim transeundo alteram patenæ partem purificatoriô tegit.

XIII. Reversus ad medium, manibûs junctîs caput inclinat Cruci, manum sinistram super altari extra corporale reponit, dum alterâ Calicem acci-

C pit,

pit, quem dextra tenens per nodum, & lævâ per pedem, ita attollit, ut ejus cuppa nec oculis sit altior, nec ore demissior, elevatos tenet oculos à principio ad finem usque orationis. *Offerimus tibi.* quam demissa voce recitat.

XIV. Finita hac oratione, Calicem in eadem semper altitudine tenens super corporale, sed non super hostiam, signum Crucis efformat, quod cum perfecerit, Calicem in medio corporalis retrò hostiam deponit, ita ut spatium sit duorum vel trium digitorum inter utrumquè, si lapidis consecrati, cui inniti debent calix & hostia, ferat extensio. Deinde Calicem cooperit pallâ, ad quam manus dextra priùs admota fuerat, sed ut eam & facilius & decentius superponat, manum quoque sinistram adhibere potest.

XV. Junctîs super altari manibûs tali forma ut minores duo digiti tangânt anteriorem partem altaris, aliîs supra ipsum positîs [e] atque inclinatus mediocriter profert voce submissa. *In spiritu humilitatis*: post hac erectus expandit & attollit manus quas statim ante pectus iterum jungit, ac simul elevatîs statimquè demissîs oculîs, ait: *Veni sanctificator.* ad hoc verò verbum *Benedic.* Signô Crucis Calicem & simul & Hostiam benedicit, sinistrâ interim manu altari innixa.

XVI. Advertendum 1mò. Quòd ut ritè signum Crucis efformetur non oporteat veluti quatuor puncta designare manu, ut ita loquar saltante, ab una ad aliam partem, sed lineâ rectâ hôc modô 1. producenda est, manum ad se simpliciter movendo, nullô alterô datô impetu, nec illam deprimendo, dum super Hostiam deducitur, posteà sumendo per anteriorem partem pallæ Calicem inter & Hostiam linea altera æquali primæ in transversum ducitur, in hunc modum. † Quævis autem linea non debet ad summum ultra ordinarii pedis longitudinem protendi. Quando fit signum Crucis supra solum Calicem producendæ sunt lineæ juxta pallæ magnitudinem: quando verò supra Hostiam tantum, debent esse paulò minores; eôdem modô formantur duabûs lineîs rectîs & æqualibûs, quæ fieri debent signa Crucis cum Calice, aut cum Patena & Hostia; vel etiam cum thuribulo in solemnioribus Missis. Quod ad cæteras Cruces attinet, dictum est superiùs Articulô tertiô numerô tertiô & quartô.

(e) Merati *part. II. tit. IV.*

XVII. Advertendum 2dò: Quod quotiescunque Sacerdos alicui rei benedictionem impertiturus est, prius jungit manus, quàm super ea signum Crucis producat, quod solùm intelligitur quando utraque manus est expedita, & neutra circa Hostiam aut Calicem tenendum impeditur.

XVIII. Productô signô Crucis jungit iterum manus factaqué Cruci capitis inclinatione incedit junctîs manibûs ad cornu Epistolæ, ubi extremitates pollicum & indicum lavat; recitans submissè: *Lavabo* cum *Gloria Patri*: quod dum profert, caput inclinat versùs Crucem; si hucusqué steterit in cornu Epistolæ; quàm primùm revertitur ad medium altaris; dicendo: *sicut erat*: Si priùs laverit & absterserit manus quàm totum Psalmum absolverit, absolvere illum potest revertendo, & in medio altaris dicere. *Gloria Patri.* ad quem versum debet semper sistere se, atque Cruci caput inclinare.

XIX. Ad finem Psalmi. *Lavabo*: in Missis pro Defunctis omittitur *Gloria Patri*. nec tamen in ejus

ejus locum additur. *Requiem æternam.* Omittitur quoqué in solis Missis de tempore á Dominica Passionis inclusivè usqué ad Sabbathum Sanctum exclusivè.

XX. Stans in medio altaris elevat oculos, statimqué demittens, inclinat se mediocriter, & junctîs manibûs, ita ut duo minores digiti tangant anteriorem altaris partem, & alii supra ipsum altare sint positi, dicit voce demissâ. *Suscipe Sancta Trinitas &c:* qua completa oratione osculatur altare, ac junctîs manibûs, quemadmodum pro *Dominus vobiscum:* ita nunc se ad populum vertit, & extendens ac elevans manus, quas subitò jungit iterum ante pectus, pronuntiat mediocrî tonô: *Orate fratres* pergitqué submissè, *ut meum ac vestrum* &c. convertit se ad medium altaris non per Epistolæ, sed per Evangelii partem, perfectô nempe circulô ad finem. *Suscipiat Dominus.* respondet *Amen.* sed voce submissa.

XXI. Manibûs sicut ad Orationes ante Epistolam extensis, vertit se, sine recessu á medio altaris, tantisper ad librum, demissa voce, non præmissô *Oremus* legit orationem vel orationes quæ *secretæ* dicuntur, ad quarum conclusionem servantur superiùs dicta, ubi de orationibus Articulô, numerô septimô, & vigesimô septimô; sed ipsemet respondet *Amen.* in fine primæ orationis: legitqué omnia secretò, ad hæc usqué verba ultimæ Orationis: *Per omnia sæcula sæculorum* quæ profert clara & intelligibili voce, manibûs super altari [extra tamen corporale] hinc inde extensîs, usqué post *Dominus vobiscum.*

XXII. Dum dicit *sursum corda:* separatas hinc & inde manus attollit ad pectoris altitudinem, ita ut palma unius manus, digitîs junctîs in suis extremitatibus respiciat palmam alterius manus. [f] *Gratias agamus Domino* illas paulò altius, id est usque ad humeros [g] elevatas, quàm primum jungit ante pectus, & ad *DEO nostro.* oculos elevat, & caput inclinat Cruci.

XXIII. Postquàm respondit minister *Dignum & justum est.* prosequitur Sacerdos expansîs & elevatîs manibûs, præfationem communem vel propriam, juxta Rubricarum dispositiones.

XXIV. Quo circa notandum. 1mò. Præfationem communem semper accipiendam esse, quoties propria non est assignata pro ipsa Missa, vel pro illo, quo celebratur tempore. Excipiuntur ab hac Regula Dominicæ singulæ, totius anni, quibûs Præfationes propriæ per Rubricas non sunt assignatæ, in quibus Præfatio de Sanctissima Trinitate dici debet, juxta Decretum Clementis XIII. Papæ 3. Januarii 1759. latum. 2dò. Præfationes proprias pro certis quibusdam temporibus & Octavis præscriptas, dici etiam in Dominicis & Festis tunc temporis occurrentibus, nisi propriam habeant hæc festa, etiamsi nulla forte, propter occurrentis festi dignitatem officii; cui hæc Præfatio convenit, commemoratio facta sit, idem servatur in Missis votivis, quibus specialis adscripta non est Præfatio. 3tiò. Cum duæ unô & eôdem die Præfationes propriæ occurrunt præponendam illam esse, quæ convenit festo, de quo habitum est officium, *vg.* si tempore Paschali Missa dicatur de Sancto Marco, aut Sanctis Philippo & Jacobo, Præfatio dici debet de Apostolis; ab hac tamen regula nonnulli excipiuntur

(f) Rubr. Miss. *de Offert. num. 8,* (g) Merat. *part. II. tit. IV.*

tur casus inferiùs notati. 4tò. Infra Octavam Nativitatis Christi Domini, quotidie dici Præfationem cum suis Communicantibus de Nativitate vel in ipsa Missa Sancti Joannis Evangelistæ, & in quacunque votiva Missa, quæ propriam habeat Præfationem. Dicitur quoquè in die Octavæ S. Stephani, licet occurrat infra Octavam Sancti Joannis, cui propria competit Præfatio. 5tò: Nunquam dici in Missis pro Defunctis Præfationem aliam à communi, nec alios Communicantes ab ordinariis, hoc quoque observatur in Missis feriarum Privilegiatarum, ut sunt Quatuor temporum, ac Vigiliarum licet occurrant infra Octavas, quæ proprias habent Præfationes, quemadmodum Sacra Rituum Congregatio decrevit 12. Xbris 1626. [h] 6tò: Quod in Missa Litaniarum majorum & minorum quæ die Sancti Marci, & feriis Rogationum celebratur, dicenda sit Præfatio ferialis pro tempore Paschali:

XXV. Finita Præfatione inclinat se mediocriter, atquè manibûs ante pectus junctîs, non tamen positis super altare, dicit voce mediocri: *Sanctus Sanctus.* nec interim pectus percutit, ad hæc autem verba *Benedictus qui venit*: erecto corpore, sinistra manu pectori admota, super se signum crucis dextra producit, jungitque iterum manus dum dicit *in Excelsis* [i]

ARTICULUS VIII.

De Canone Missæ ad Consecrationem inclusivè:

I. Finita Præfatione Celebrans, stans rectus ante medium altaris, extendit ac elevat ali-

(h) Merati *in Indic. Decret.* VII. & Bauldr. *part. 2. tit. 7.*

(i) Gavant. *part. II. ti*

quantulùm manus, oculîsquè elevatîs ad DEum, & sine mora demissîs, manibûs junctîs. & super altare positîs, profundè inclinatus incipit secretò & non priùs dicens (l) *Te igitur Clementissime Pater.*

II. Post hæc verba. *Rogamus ac petimus* hinc inde super altare, extra corporale manibûs extensîs osculatur in medio, pergitquè dicens: *uti accepta habeas & benedicas.* ad hoc ultimum verbum jungit manus, & erigit se, deinde supra Calicem & Hostiam simul tria producit signa Crucis dicendo. *Hæc † dona, hæc † munera, hæc † Sancta Sacrificia* manu sinistra interim innixa altari, prout supra dictum est:

III. Postea manibûs ante pectus extensîs, uti ad Præfationem pergit demissa voce, *In primis quæ tibi offerimus* &c. specificat nomen proprium Papæ & Episcopi illius tantum loci, in quo celebratur, & non alterius Superioris, etiamsi Celebrans vel nullius, vel alterius Prælati Jurisdictioni subjaceat, sed non nisi ad Papæ nominis prolationem caput inclinat. Sacra verò Sede Romana vacante omittantur hæc verba. Una cum famulo Papa nostro N. omittantur similiter ista & Antistite nostro N. dum vacat Episcopalis Sedes.

IV. Legit *memento* voce submissa, sed illud inchoat elevatis non oculîs, sed manibûs prope ad mentum seu ad pectoris summitatem, quas sine mora iterum junctas, & ita elevatas tenet, inclinato tantisper capite, dùm pro vivis breviter orat.

V. Literæ NN. indicant nomina eorum, pro quibus orare in animo est, quorum nomina hoc in loco enuntiare potest; at verò necessaria non est talis

(l) Rubr. Miss. *l. de Canon. Miss. & Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 8.*

enuntiatio, ſufficit enim mentio mentaliter facta[m] quinimo poteſt Sacerdos, ne adſtantibus moleſtus evadat, ſibi ante Miſſam eos omnes in animo proponere, pro quibus intendit orare, ut illos hic ſimul & in communi, non ſigillatim offerat.

VI: Oblatô ita Sacrificiô pro vivis, demittit, & extendit ut antea manus, pergitqué ſecretó, & *omnium circumſtantium* & deinde *Communicantes* &c. quibûs finitîs jungit manus ad hæc verba *per eundem.*

VII: Intra *Communicantes* caput inclinat, non ſolùm ad prolationem nominum *JESUS* & *MARIA* juxta ſuperiùs explicatam communem regulam, ſed & proferendo nomen illius Sancti de quo feſtum agitur, ſi inter alia, contineatur in Canone.

VIII. Nota quod *Communicantes*, & *hanc igitur oblationem* quando ſunt particulares de Octava aliqua, *vg.* de Paſchate, de Nativitate &c. nunquam omittuntur, etiamſi omittatur Præfatio particularis talis ſolemnitatis: & hoc conſtat ex Decreto S. R. C: edito die 28. Auguſti 1627. [n] unde ſi infra Octavam, Paſchatis cantetur Miſſa ſolemnis Votiva de B. V. M: pro publica Eccleſiæ cauſa, & gravi neceſſitate, Præfatio erit de B. V. M: *Communicantes* verò & *hanc igitur* de dicta Octava. Sic etiam ſi infra Octavam Aſcenſionis Chriſti Domini Miſſæ votivæ celebrentur propriam Præfationem habentes, vel ſi tunc incidat feſtum Sanctorum Apoſtolorum Jacobi & Philippi, aut Inventionis Sæ Crucis, debebunt *Communicantes dici* de Aſcenſione, licet non de ea, ſed de Apoſtolis, vel de Cru-

(m) Rubr. Miſs. 3. *de Canon. Miſs.* (n) Merati *in Indic, Decret.*

ce,

ce, aut alia Miſſis votivis competens dicta ſit Præfatio.

IX. Dum dicit *hanc igitur oblationem*, ambas ſimul manus expandit ſupra Calicem & Hoſtiam, ſed ne disjungat pollices, ſolummodo autem manus adaperiat, ex parte inferiori, ſuper oblata, ità ut palmis apertîs pallam non tangentibûs, Calicem & Hoſtiam ex parte cooperiat, ſitqué pollex dexter, ſupra ſiniſtrum in modum Crucis, non intra, ſed ſupra manus, ut declaravit S. R. C. ſub die 4. Auguſti 1663. [o] manus autem ita diſpoſitas tenet Saerdos uſque ad illa verba. *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* tunc enim jungit illas ac proſequitur. *Quam oblationem:*

X. Dictô *Quæſumus.* admovet manum ſiniſtram altari penes corporale, dum dextra tria efformat ſigna Crucis ſuper Calicem ſimul & Hoſtiam dicendo: *Bene†dictam Adſcri†ptam: Ra†tam* nullâqué interpoſitâ morâ ſignum aliud producit ſupra ſolam Hoſtiam dicens: *ut nobis Cor†pus.* aliud quoqué ſupra Calicem dicens: *Et ſan†guis.*

XI. Poſtea elevans ac jungens manus ante pectus dicit. *Fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti:* facta capitis inclinatione ad hoc ultimum verbum, extergit pollices, & indices in extremitatibus corporalis, dum profert, *Qui pridie quam pateretur*: ſtatimqué accipit Hoſtiam primùm pollice, ac indice manûs dextræ, deinde iîsdem manûs ſiniſtræ digitîs dicens: *Accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.*

XII. Ut autem faciliùs accipiatur Hoſtia, expedit ſupra alteram ejus marginem manûs ſiniſtræ indicem apponere, quia tunc aliquantulum attol-

(o) Merati *in Indic. Decret.*

 letur

letur ad partem dextræ, accepta tenetur intra pollicum & indicum extrema, cæterîs digitîs extensîs, & una junctis cum tota manu.

XIII. Elevans ac sine mora demittens oculos dicit: *Et elevatis oculis in cælum.* sed nec manus nec Hostiam elevat, caput postea inclinat dicendo. *Tibi gratias agens:*

XIV. Sustentans Hostiam duobûs digitîs manûs sinistræ, signum Crucis super eam producit dextrâ extensâ dicens: *Bene†dixit.* atque acceptâ iterum Hostiâ ut ante, id est ambabûs manibûs prosequitur, *fregit, deditquè discipulis suis, dicens: Accipite & manducate, ex hoc omnes.*

XV. Si extent in aliquo vase penes Calicem Hostiæ consecrandæ, admovet illud versùs dextram suam, priusqué discooperit quam Hostiam accipiat; si verò sint supra corporale, illas in loco suo relinquit; nec eas unquam unà cum majori elevare debet, & si unica foret:

XVI. Innixîs altari, & quantum fieri potest extra corporale cubitîs, capite inclinato, ac pedibus in suppedaneo ad æqualitatem compositis distinctè reverenter ac submissè profert, super Hostia, quam præ manibus tenet, simul & super aliis si adsint consecrandæ, verba, *Hoc est enim Corpus meum.* quæ verba proferenda sunt uno tractu sine vehementi aspiratione, & absqué ullo capitis motu, nequé in formam Crucis, nequé aliô quôvis modô non Hostiam afflet Sacerdos, vel ore contingat, nec eam osculetur peracta consecratione. [p]

XVII. Prolatîs verbîs consecrationis Hostiæ, Sacerdos Hostiam consecratam statim adorat unico genu dextro ad terram usqué demisso, ut autem

(p) Gavant. & Merat. *part. II. tit. VIII.*

com-

commodiùs à Celebrante genuflectatur, retrahit cubitos extra altare, reductis ad extremitatem corporalis, ibiqué retentis solîs manibûs usqué ad pulsus Hostiam retinentibûs, aliis digitîs, quibus Hostiam non tenet extensîs, junctis, uti dictum est. Erectus ab hac genuflexione reverenter Hostiam recta supra corporale paulò altiùs evehit quàm caput est, non ita tamen ut capiti perpendiculariter immineat, aut in aliquam partem deflectat, sed ut ab omnibus commodè videri & adorari possit, Hostiam per modicum tempus sic elevatam, postea demittit lentè, modestè ac oculîs in illam continuò defixîs, quod observandum pariter est ad elevationem Calicis.

XVIII. Antequam in corporali deponat Hostiam ab ea primò amovet manum sinistram, quàm corporali admovet, deinde tribûs dextræ ultimîs digitîs extensîs à dextra, vel pro majori sua opportunitate clausis ad intra, ne Hostiam tangant, paulatim illam locô suô reponit, & adorat, postea genuflectendo; si minores hostias in aliquo vase contentas consecraverit, illud cooperit, & ad locum suum removet, post adorationem Hostiæ & genuflexionem.

XIX. Notandum quòd à consecratione usqué ad ablutionem, debeant manus esse separatæ ac extensæ ad intra supra corporale, quoties fit genuflexio, aut altaris osculum, & pollices jugiter cum indicibus conjuncti, nisi quando tangenda est Hostia vel accipienda.

XX. Statim atqué à genuflexione surrexit sinistrâ supra corporale positâ, Calicem dextrâ solâ discooperit, deinde pollices, & indices leviter tergit supra Calicis cuppam, ut in eam, si quæ illis

adhæ-

adhæſerint particulæ, decidant: [q] quod & in aliis ſimilibus occaſionibus præſtare debet: Erectus autem dicit: *ſimili modô* &c.

XXI. Ambabûs manibûs calicem ita per nodum accipit, ut illum pollicibûs, & indicibûs ſimul junctîs teneat, antrorſum; cæterîs verò digitîs retrorſum circumdet. Apprehenſum ita calicem dimovet à loco ſuo ad altitudinem trium aut quatuor digitorum; hîs interim prolatîs verbîs. Accipiens & *hunc præclarum Calicem*, demittit illum è veſtigio ſupra corporale, ſed non removet ab eo manus; facta poſtmodum inclinatione capitis ad hæc verba. *Tibi gratias agens.* ſola ſiniſtra manu calicem tenet, dum ſuper eo ſignum Crucis efformat dextrâ, eodem tempore dicens: *Bene†dixit* tum ulteriùs proſequitur: *deditqué diſcipulis*:

XXII. Deinde acceptum Calicem per nodum dextra, & ſiniſtra per marginem pedis, aliquantulum è loco ubi erat, ſublevat ita, ut vinum, quod eſt intus videri poſſit, nec illum ſi fieri poteſt ullatenus inclinat, nec os ad cuppam uſqué promovet, cubitîs ſuffultîs altari extra corporale, vultuqué demiſſo verba Conſecrationis Sanguinis. *Hic enim eſt calix.* Secretò attentè, ac ſine interruptione profert.

XXIII. Quibûs dictîs Calicem in corporali reponit pergendo ſubmiſsè *hæc quotiescunqué*, magna cum reverentiâ, pretioſum Chriſti Domini Sanguinem adorat poplite dextro flexo uſqué ad terram, poſtea ſurgit, & Calicem utraqué manu apprehenſum ut ante, dextra ſcilicet per nodum, & leva per pedem, recta quantùm poteſt com-

(q) Rubr. Miſs. 7. *de Canon. Miſs.*

modè

modè fieri, ſupra locum unde receptus eſt, ita ſublevat, ut tota cuppa Sacerdotis caput tranſcendens à populo videri facilè poſſit, Sanguisqué pretioſus adorari, oculis in eum continuò defixîs; caveat ne manipulus Hoſtiam attingat.

XXIV. Poſtquàm Calicem modico tempore ſic elevatum tenuit, illum in eodem loco, ubi erat ſupra corporale deponit, nullô interim factô ad ejus pedem oſculô, dextrâ ſtatim ſuperponit pallam & genuflectit.

XXV. Advertendum quòd deinceps Calicem non niſi priùs genuflexione facta tangere debeat, nec opus ſit, ut dum dextra Calicem diſcooperit, pedem ejus ſiniſtrâ teneat: ſed ſolùm quando illum cooperit ob everſionis periculum, ne pallam imponendo trudat eum ex inadvertentia; vel ſi malit, ſiniſtram adhibeat, pro accipienda & adaptandâ pallâ uti dictum eſt ſuperiùs.

ARTICULUS IX.

De Canone poſt Conſecrationem.

I. REpoſito calice in altari, & adoratô Sanctiſſimô Sacramentô ſurgit Celebrans & erectus extensîs manibûs ante pectus atqué converſus pauliſper ad librum ſubmiſſa voce dicit. *Unde & memores* &c. ad hæc verba: *de tuis donis ac datis* jungit manus, deinde poſita manu ſiniſtra ſuper altari ſignum Crucis efformat dextra ſupra Calicem & Hoſtiam ſimul dicens: *Hoſtiam † puram, Hoſtiam † Sanctam*, *Hoſtiam † immaculatam*, & ſuper Hoſtia ſola proferens. *panem † ſanctum vitæ æternæ.* ac demùm ſuper Calicem dum dicit, *& Cali-*

cem

cem salutis perpetuæ. postea extensîs manibûs prosequitur *supra quæ propitio* &c.

II· Legit *supplices te rogamus*, inclinatus profundè junctîsqué manibûs super altari eô modô, quô supra articulô 4tô numero 1mo dictum est [r] hôc unô exceptô, quòd indicibus remaneant conjuncti pollices.

III. Osculatur altare ad hæc verba. ex hac altaris participatione, manibûs hinc inde super corporale positîs, jungitqué manus dum dicit *sacrosanctum filii tui*, post hæc manum sinistram in corporali reponit dum signum Crucis dextrâ producit, primùm super Hostiam solam dicens: *Cor†pus* deinde super Calicem dicens & *Sanguinem*, ac demum super se dicens *omni benedictione † cœlesti*: sed manu sinistra protunc infra pectus posita. Jungit tandem manus ad hæc verba. *Per eundem Christum Dominum nostrum Amen.*

IV. Cum submissè profert *Memento etiam Domine.* manus extendit & elevat, non elevatîs oculîs, easqué jungit ad hæc verba *in somno pacis.* tunc primùm & non ante, moratur aliquantulùm fixîs oculîs in Sanctissimum Sacramentum, demisso parum capite, junctîsqué ac elevatîs ad faciem usqué manibûs, uti ad primum *Memento*: atqué ita orat pro Defunctis.

V. Peracta commemoratione pro Defunctis demittit, & expandit ut antea manus pergens, *Ipsis Domine.* illas deinde jungit in Conclusione *Per eundem.* caput inclinans *ad Christum*, solus hic casus est, in quo fieri debeat inclinatio. *ad Christum* quando non præcedit immediatè *JEsum.*

(r) Rubr. Miss. 4. *num.* 1. Gavant. & Merat. *part. II. tit. IX.*

VI. Sinistrâ postmodum supra corporale positâ, nullaqué præmissa capitis inclinatione, pectus percutit tribûs posterioribûs dextæ manus digitîs, dicendo voce mediocri· *Nobis quoqué peccatoribus.*, cætera secretò prosequitur, extensîs & apertîs ut ante manibûs, sed ante Conclusionem. *Per eundem Christum Dominum nostrum*, iisdem junctîs pergit. *Per quem hæc omnia* &c.

VII. Postea sinistram iterum corporali admovet, ut tria signa Crucis dextrâ producat supra hostiam & Calicem simul ad hæc verba: *San†ctificas, vivi†ficas, bene†dicis, & præstas nobis*, post hæc detecto calice genuflectit.

VIII. Erectus non ab inferiori parte, sed à latere paulò infra medium, Hostiam accipit pollice & indice manûs dextræ. Sinistrâ verò ad nodum calicis admotâ, tria iterum signa Crucis Hostiâ supra calicem efformat deducendo illam à labio ad labium, ita tamen ut illud Hostia non tangat, dicitqué interim submissa voce. *Per ip†sum & cum ip†so*, & *in ip†so* postea duplex aliud signum Crucis producit intra Calicem & seipsum dicens, *est tibi DEO Patri † Omnipotenti, in unitate Spiritûs † Sancti*; ita ut Hostia supra Calicem non evehatur, & lineæ extra corporale non protendantur, nec ducantur supra brachium sinistrum Sacerdotis, quod idcirco debet aliquantulùm amovere:

IX. Deniqué manu dextra Hostiam tenens supra Calicem, quem adhuc sinistra per nodum tenet, elevat utrumqué simul ad trium aut quatuor digitorum altitudinem, proferendo submissè. *Omnis honor & gloria*: nulla protunc facta inclinatione, nec genuflexione; absque mora Calicem lo-

cô ſuô reponit pariter & Hoſtiam, & abſterſîs leviter digitis ſupra Calicem, hunc pallâ tegit, & eô tecto genuflectit.

ARTICULUS X

De Oratione Dominica uſqué ad Communionem.

I. POſt genuflexionem erecto corpore Sacerdos extensîsqué inde ſupra corporale manibûs profert clara & alta voce. *Per omnia ſæcula ſæculorum*: Poſtea dum dicit *Oremus* elevat jungitqué manus ac caput inclinat ad Sanctiſſimum Sacramentum. Erecto poſtmodum capite ea quæ ſequuntur recitat junctis manibûs ad *Pater.* uſqué, tum illis more ſolito extensîs hanc orationem proſequitur, & oculîs interim in Sanctiſſimum Sacramentum fixîs, niſi opus ei ſit in Miſſali legere:

II. Statim ac reſpondit miniſter. *Sed libera nos à malo.* ſubmiſſa voce addit Sacerdos *Amen.* deinde depoſita in corporali ſiniſtra, dextram admovet patenæ, quam non disjungens pollicem ab indice leviter purificatoriô tergit, relictô poſtea purificatorio ſuper *altari* versûs cornu Epiſtolæ ad aliquam à corporali diſtantiam, ita ut calix poſt ablutionem purificatorium inter & corporale collocari poſſit, patenam accipit intra indicem & medium digitum, eamqué tenens ita erectam extra corporale ſuper altari, ut anterior pars converſa ſit ad Hoſtiam, manuſqué innitatur ſuperiori limbo; ſubmiſsè dicit: *Libera nos &c.*

III. Patena ſeipſum à fronte ad pectus ſignat ad hæc verba *Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus*

qus Sanctis, ac interim ſiniſtrâ infra pectus admòtam detinens, oſculatur patenam ad intra in limbo nimirum ſuperiori prope indicem manûs dum dicit; *Da propitius pacem. pergensqué* ut *ope miſericordiæ:*, illam ſubmittit Hoſtiæ, & admoto ſiniſtro indice Hoſtiam ſupra patenam ita adaptat, ut illius non marginem, ſed interiorem duntaxat concavitatem in parte ſuperiori excedat, quatenus poſſit inde faciliùs accipi, deinde proſequitur orationem, Calicem detegit, poſtea extensîs hinc inde ſuper corporale manibûs. Sacramentum genuflexus adorat.

IV: Mox ſurgens premente partem lateralem ſiniſtram Hoſtiæ indice ſiniſtræ manûs, pollice & indice dextro accipit eandem Hoſtiam è parte ſuperiori, quam defert ſupra Calicem, ubi etiam admotis pollice & indice ſiniſtris illam in æquales partes duas paulatim frangit ſecretè dicens. *Per eundem Dominum noſtrum*, Hoſtiam autem frangere debet, non quaſi lacerando, ſed eam ter aut quater exteriùs replicando primò in parte ſuprema, deinde media, tertio infima, ac demum ut perficiatur fractio, illam rurſus in medio replicat.

V. Deponit in patena partem Hoſtiæ, quam dextra tenebat, poſtea adhibitis ejuſdem manûs indice & pollice, fruſtulum ex illa Hoſtiæ parte quæ remanſit in ſiniſtra frangit in inferiori parte [s[dicens *qui tecum vivit & regnat.* hanc particulam iîsdem dextræ manûs digitîs, ſuper Calicem detinet, dum manu ſiniſtra mediam alteram partem ſuper patena jungit alteri dicens. *in unitate Spiritûs Sancti DEus:*

(s) Vide Decret. S. R. C. editum 4. Auguſt. 1663. apud Merat. *in Indic. Decret.*

VI. Posthac sinistra manu ad nodum Calicis admota, dextra verò particulam Hostiæ supra calicem sustentante, profert alta voce. *Per omnia sæcula sæculorum.* ac deinceps *Pax † Domini sit † semper vo†biscum.* formando tria signa Crucis, particulâ quæ ab alio calicis labio ad aliud deduci debet, ita tamen ut ea non tangat, dumqué respondet minister. *Et cum spiritu tuo.* hanc Hostiæ particulam demittit in Calicem dicens submissè. *Hæc commixtio.* cum inclinatione capitis ad nomen *JEsu Christi.* postea tersis primum ad invicem digitis supra Calicem, tum illis iterum junctis pallâqué calici imposita genuflectit.

VII. Stans manibûs ante pectus junctîs, corpore mediocriter inclinato dicit elata voce. *Agnus Dei.* manum sinistram in corporali deponit ad primum. *Miserere nobis.* & inde illam non amovet nisi tribus *Agnus Dei.* completis, pectusqué suum solîs extremitatibûs trium duntaxat manûs dextræ digitorum percutit, quoties ore profert *Miserere nobis* & iterum ad hæc verba. *dona nobis pacem.* nec interea debet manum istam altari superponere.

VIII. Junctîs deinceps manibûs, & super altare tali formâ ut supra dicimus positîs, cum mediocri corporis inclinatione tres orationes. *Domine JEsu &c.* recitat submissa voce intentîs in Sanctissimum Sacramentum oculîs, nisi necesse sit, ut in Missali illas perlegat.

IX. Datur pax, si danda sit post primam orationem *Domine JEsu Christe.* sed in privatis Missis danda est tantùm Prælatis, Principibus, aut aliis eminentioris dignitatis hominibus, nec non & sponsis cujuscunqué conditionis sint, si ita ferat loci consuetudo; verùm in his omnibus casibus utendum est instrumentô pacis, quod Celebrans, post altaris osculum, osculari & Clerico superpelliceo induto, ad deferendum tradere debuit dicendo ei *Pax tecum.*

X. Finitîs hîs orationibûs, genuflectit, & erigens sese secretò dicit. *Panem cælestem accipiam.* postea pollice & indice manûs dextræ, accipiens è parte superiori ambas, quæ in patena jacent Hostiæ medietates sublevat, illasqué illicò accipit ab infra sustentatqué pollice & indice manûs sinistræ, ita ut pars illa Hostiæ, quæ ad dextram est Sacerdotis altari medietati aliquantulùm supponatur, & ambæ nihilominùs figuram rotundam, aut quasi rotundam exhibeant, deinde sub Hostiam patenam ponit, inter indicem & medium digitum ejusdem manûs.

XI. Hôc itaqué modô sustentans manu sinistra patenam & super eam Hostiam erectam; mediam inter pectus & Calicem supra corporale duobûs aut tribûs digitîs sublevatam, nec brachia, nec ulnas alteri fulciens, nec corpus vertens, ut à populo videatur Hostia, nequé genu incurvans, nequé pedem retro movens, sed mediocriter inclinatus ter profert voce mediocri hæc verba: *Domine non sum dignus.* cætera submissè prosequens toties percutit pectus extremîs digitîs manrûs dextræ, quam post unamquamqué pectoris percussionem admovet corporali.

XII. Erecto postea corpore accipit pollice ac indice digitîs dextrîs, ambas Hostiæ partes, quarum aliam, id est eam quæ dextræ ejus correspondebat aliâ tegit, postea Hostiâ signum Crucis efformat dicendo ante se priorem lineam patenæ,

quam ut antea præ manu ſiniſtra tenet, perpendicularem, poſteriorem verò lineam horiſontaliter ducit, ita tamen, ut patenæ limites non transgrediatur, ſed imprimis caveat ne interim Hoſtia vel pectus, vel faciem tangat, interim dicit: *Corpus Domini* &c: Deinde poſitis ſuper altare cubitîs & reverenter inclinatus ambas ſimul partes hoſtiæ ſumit.

XIII. Sacerdos aperiendo modeſtè os abſque linguæ expoſitione, & patenâ ſuppoſitâ Hoſtiæ, hanc ore ſumit, ut autem commodius id fiat, opus eſt ambo labia non nihil linguâ madefacere, & in os deferre tertiam circiter Hoſtiæ partem, quam labiîs leviter premit, ut primò complicetur, poſtea labiîs apertis alteram Hoſtiæ partem eôdem modô, quô primam, in os intromittit, & ad intra complicare demum unô. aut altero actu reſiduum Hoſtiæ ſive Hoſtiam totam ore concludere, replicando ſemper intrinſecus præcedentes partes, ita ut aliæ aliis involutæ aut ſufficienter madefactæ deglutiri ſimul omnes facile poſſint ſacrâ Hoſtiâ hôc modô ſumptâ patenam in corporali reponit poſtea erigens ſeſe, jungensqué manus ante faciem, pollicibûs ab indicibus non disjunctis, quieſcit aliquantulùm in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti.

XIV. Diſcooperit calicem dextrâ, poſitâ ſiniſtrâ ſuper corporale ſubmiſsè dicens. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* genuflectit ſurgit & accipit patenam inter indicem, qui adhuc junctus eſt pollici, & medium digitum manûs dextræ, tenensqué ſiniſtra corporalis extremitates colligit fragmenta, diligentiam adhibens, ne eorum quidquam remaneat; ſi opus ſit ad ea facilius colligenda, ut amoveatur Calix conſonum eſt,

eſt, ut illum removeat ſtatim, ac diſcooperuit, & poſtea genuflectat.

XV. Si minores Hoſtias conſecravit, quæ in corporali jaceant, & quæ in hac Miſſa diſtribuendæ ſint, majoris Hoſtiæ fragmenta colligenda non ſunt, donec illas communicantibus diſtribuerit, quin & abs re non erit, ut ad hoc uſqué tempus differat purgationem patenæ, niſi ſuper ea fragmentum aliquod perſpiciat, quod immittere debet in Calicem cum pretioſo ſanguine. Quòd ſi quas conſecravit, minores hoſtiæ ad aliud tempus ſervandæ ſint, tunc ſumpto ſacroſancto Corpore, genuflectit, easqué in ſacra pixide, ſi adſit in altari reponit [t] poſtea fragmenta colligit, ſumitqué pretioſum ſanguinem, quô ſumptô ſacram pixidem includit in tabernaculum, modô deſcriptô inferius numerô 18vo. ſed ſi extrahenda eſſet ſacra pixis è tabernaculo, ad imponendas hoſtias recèns conſecratas, illam non niſi poſt pretioſi ſanguinis ſumptionem extraheret, & in his omnibus præſcriptas citatô numerô 18vô genuflexiones obſervaret.

XVI. Collectîs è corporali fragmentîs ſupra calicem patenam defert. eamqué manu ſiniſtra tenens ſedulo purgat, manûs dextræ pollice & indice, quos ad hunc finem disjungit, ita tamen, ut ſemper ſint vel ſupra patenam, vel ſupra calicis cuppam; ſed indicem præcipuè adhibet, ut fragmenta in calicem decurrant deducendo hunc digitum primò circum circa margines, deinde per medium patenæ, quam tangit partibus digiti non collateralibus ſed anterioribus, poſtea ne ullum fragmentum pollici ac indici adhæſerit, digitos iſtos ad invicem ſuper calicem leviter tergit.

(t) Rubr. Miſs. 5. de Orat: Dom. uſque ad Commun.

XVII. Manu ſiniſtra patenam ſupra corporale tenens, manu dextra non disjunctо pollice ab indice Calicem per nodum accipit [u] dicens *Calicem ſalutaris &c* rurſus ſignum Crucis Calice producit ductâ prima linea è ſublimi ad infima dicendo. *Sanguis Domini noſtri &c.* deinde admotâ patenâ infra Calicis cuppam, ad ſummitatem videlicet pectoris non procul à mento, totum ſumit pretioſum ſanguinem, unà cum Hoſtiæ particula, in eo contenta, & quidem triplici hauſtu, ad ſummum: Si fortè fundo Calicis adhæſerit hoſtiæ particula, digitô ad labium Calicis eam adducat & ſumat, ante purificationem, vel infundat vinum & ſumat: [x]

XVIII. Si adminiſtranda ſit Communio Sacerdos ſumpto pretioſo Sanguine, Calicem in altari reponit, non infusô vinô pro purificatione, illumqué pallâ ſolâ non adhibitô purificatoriô, tegit: deinde facta genuflexione, conſecratas Hoſtias in ſacra pixide, aut in altero vaſe, ſi à principio non fuerint impoſitæ, imponit, vel ſi paucæ numero ſint, ponit, eas ſupra patenam. Quod ſi Hoſtiæ ſuper altari non ſint ſed in tabernaculo, illud aperit factaqué genuflexione extrahit ſacram pixidem, quam ſupra corporale collocat, atqué propulſatâ tabernaculi portâ, ſacram pixidem diſcooperit, & iterum genuflectit, ac ſe ad populum vertit, aliquantulum recedens ad cornu Evangelii ne Sanctiſſimo Sacramento dorſum obvertat, junctîs manibûs, nec pollicibûs & indicibûs ab invicem ſeparatîs, profert elata voce. *Miſereatur veſtri.* non in ſingulari, ſed in plurali numero, licet

(u) Gavant. & Merat. *part. II. tit. X. de Oratio Dom.* (x) Rubr. Miſs. de Defect. occurr. in Miſs. tit. 10. num. 8.

ſi uni duntaxat homini adminiſtranda ſacra Communio foret; poſtea in plurali quoqué dicit. *Indulgentiam abſolutionem,* &c. producendo ſignum Crucis ſuper eum aut ſuper eos, qui ad ſacram Communionem acceſſuri ſunt, manu dextra, ſiniſtra infra pectus poſita; hîs ita peractîs revertitur ad medium altaris, ibiqué facta genuflexione, accipit manu ſiniſtra patenam aut pixidem, in qua eſt Sanctiſſimum Sacramentum, unde pollice & indice dextræ manûs extrahit Hoſtiam, quam pauliſper erectam tenet ſupra pixidem aut patenam, ex qua manum non amovet, ſtans in medio altaris, & omnino converſus ad eos, quibus adminiſtratio fieri debet, defixîs oculîs in venerabile Sacramentum, quod habet præ manibus, alta voce profert. *Ecce Agnus DEI. ecce qui tollit peccata mundi,* deinde parumper inclinatus ter addit eôdem tonô: *Domine non ſum dignus.* integrè ac ſemper in maſculino, etiamſi ſacram Communionem, nonniſi Monialibus, aut aliis ejusdem ſexûs adminiſtraturus ſit.

XIX. Poſtea in ſilentio propiùs accedit ad eos, quibûs danda eſt communio, quam diſtribuit, incipiendo á cornu Epiſtolæ, ante ſingulos Hoſtiâ ſignum Crucis ſupra pixidem aut patenam efformat, ducta priori linea, ab alto deorſum & poſteriori in transverſum, ita ut Hoſtia patenæ aut pixidis limites non prætergrediatur, dicit interim ad unumquemqué *Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen:* cum capitis inclinatione, ad *JEſu Chriſti*, niſi jam inclinatus ſit, atqué tribûs poſterioribûs manûs dextræ digitis ad intra complicatis, ſub finem eorumdem verborum Sanctiſſimum Sacramentum adminiſtrat. Cavere imprimis debet, ut ſacram pixi-

dem non teneat ante os Communicantium, ne ipsorum respirio Hostia aliqua dejiciatur; caveat etiam ne priùs manum retrahat, quàm integra sit Hostia in ore Communicantis.

XX. Notandum hic venit. 1mò. Quòd si pro distribuenda communione pluribus teneatur Sacerdos uti patena, consonum sit super minores Hostias ne aliqua in terram decidat, pollicem & indicem manûs sinistræ apponere. 2dò. Quòd dum dispensat sacram Communionem, nullam protunc facere debet inclinationem, aut genuflexionem, quamvis eum transire contingat ante medium altaris, in quo Sanctissimum Sacramentum est expositum, aut quamvis coram ipso deferatur ad infirmos, vel elevatio fiat in aliquo altari, quòd sit in ejus conspectu. 3tiò. Quod cum Sacrum facit in altari, ubi tabernaculum non est, si post populi Communionem Hostia aliqua supersit, eam priùs sumere debeat, quam Calicem purificet; item quando post eundem actum in fundo Calicis guttas aliquot pretiosi Sanguinis reperit, conveniens est, ut eas sumat antequam vinum pro purificatione infundatur. 4tò. Quantum fieri potest peragenda est Communio populi in Missa statim à Communione Celebrantis, juxta mentem Ecclesiæ; quæ sat superquè innotescit, tum ex regulis quas hac super re & in Missali & in Rituali Romano præscripsit, tum Orationibus, quas ordinavit in fine Missæ pro iis omnibus, qui sacra Communione refecti sunt. Nihilominus potest juxta idem Rituale sacra Communio extra Missam distribui, justa de causa, ut ob infirmitatem, aut necessarias occupationes eorum qui Communionem petunt; vel etiam quod censent bene multi, propter ingentem accedentium numerum, quòd justiùs finis Missæ protraheretur, non sine molestia eorum, qui ad Communionem non accedunt. Cæterum si extra Missam distribuatur, recolenda ea sunt quæ in Articulo sequenti numero 16. referentur.

XXI. Peracta Communione, ascendit iterum ad altare in silentio, positis manûs dextræ digitis, pollice nimirum & indice supra patenam, aut vas illud, in quo continebantur Hostiæ, nullam tunc populo impertitur benedictionem, quia benedicturus est in fine Missæ, fragmenta si quæ sint in corporali colligit patenâ, quam deinde supra Calicis cuppam tergit, uti dictum est. Si sacra pixide usus est in administranda Communione, illam hac peracta, collocat in altari, & abstersis super eam pollice & indice ad invicem genuflectit, postea cooperit, & reponit in tabernaculo, quod claudit præmissa genuflexione, cætera prosequitur ut supra.

XXII. Si sacram pixidem, quam ex usitato more purificare decet, quolibet decimo quinto die purificaturus sit, diligenter ea quæ sequuntur observet. Sumpto pretioso Christi Domini Sanguine, accipit è tabernaculo sacram pixidem. Communionem si qui sint, qui petant eam, modô supradictô distribuit, deinde pollice ac indice manûs dextræ Hostias omnes quas continet pixis, deponit in patena, tunc intus hærentia fragmenta sedulò colligit, quæ nec ad os defert digito nec ore sumit è labiis sacræ pixidis, quod indecorè fieret, & cum periculo aliquod amittendi, sed efficit ut in Calicem decidant, supra vinum, quod priùs curat, ut infundatur, ne illa fundo adhæreant, postea pixidem purificat vinô, quod primùm intrinsecùs vertit in omnes partes, deinde infundit in Calicem, postea purifi-

purificatoriô pixidem ita diligenter abstergit, ut in ea nihil penitus humidi remaneat, sacræ pixidi prius imponit recentiores Hostias, & postmodum antiquiores, ut istæ ante illas distribui possint, ac demum pixidem cooperit, illamqué servatis quæ numerô præcedentî præscriptæ sunt genuflexionibûs, claudit in tabernaculum, quô clausô fragmenta sumit cum vino quod în Calice est. Ablutio digitorum & cætera deinceps more solito peraguntur.

XXIII. Hîs ita peractîs, vel si distribuenda non sit Communio nec purificanda pixis, postquam pretiosum Sanguinem sumpsit Sacerdos, deposito super altare Calice non retracta ab eo manu, paulisper quiescit in meditatione Sacramenti [y] patenam interea tenens manu sinistra erectam supra corporale eiqué innixam, postea dicit submissa voce. *Quod ore sumpsimus.* Ministro interim ad cornu Epistolæ Calicem supra altare quidem: non tamen illi innixum exhibet. ut vinum infundatur, quod infusum ita in Calicem hinc illinc movet ut illô universæ, ad quas pervenit pretiosus Sanguis, abluantur partes, & qua parte Calicis pretiosum Sanguinem sumpsit, eadem sumit hoc vinum, admotâ priùs infra Calicem patenâ, uti pro sacratissimî Sanguinis sumptione; ut autem facilius dignoscatur per quem locum, aut partem Calicis sumptæ illæ fuerint, optimum esset, ut Crux aliqua, aut imago quædam pedi Calicis insculpta foret.

XXIV. Sumpta purificatione Sacerdos repositis Calice supra corporale, ac patena ex parte sinistra corporalis à parte Evangelii, Calicem utraqué ma-

(y) Merat. *part. II. tit. X.* in Rubr. 5. *de Orat. Dominica usque ad Communionem.*

nu accipit pollicibûs uná cum indicibûs supra cuppam positis, aliîs verò digitîs eam circumdantibûs, illum sic defert ad angulum altaris in cornu Epistolæ, factâ priùs Cruci debitâ reverentiâ, ubi vinô & aquâ in Calicem infusîs, pollices simul, & indices abluit, tum revertitur quasi ad medium altaris; tenens adhuc calicem, prout habebat, quem ponet penes corporale, ubi acceptum indice & pollice manûs dextræ purificatorium ponit, super eosdem manûs sinistræ digitos, quos oportet supra Calicem adhuc junctos esse, tunc hos & illos abstergit, interim dicens. *Corpus tuum Domine, quod sumpsi,* [z] extersîs digitîs deponit purificatorium extra corporale penes Calicem, & accedens ad medium altaris junctîs manibûs Crucem veneratur càpitis inclinatione. [a] Caveat multùm Sacerdos, ne purget os suum, aut labia Calicis digitîs, quos postea lambat, hoc enim plurimum haberet indecentiæ; & ne assistentibus tædiosus evadat, oportet ut uno aut altero ad summum haustu, sive purificationem, sive ablutionem sumat.

XXV. Stans in medio altaris manu sinistra accipit purificatorium, dextra verò calicem per nodum, & supponens purificatorium, quod tenet manu sinistra Calici, jam separatis ab invicem pollicibûs & indicibûs, sumit ablutionem; quâ haustâ abstergit purificatoriô primùm labia sua, deînde Calicem quem purgat, quemadmodum dictum est, ubi de Offertorio, illum postea removet extra corporale, & ad partem Evangelii collocat, uti fecit ante Missam, nisi Missale præpediat.

(z) Rubr. Miss. 5. *de Orat. Dom. usqué ad Comm.* (a) Merat. *part. II. tit. X.* in Rubr. Miss. 5. *de Orat. Dom. usqué ad Comm.*

XXVI. Super Calicem, purificatorium explanat, ita ut æqualiter pendeat ex utraqué parte, postea superimponit cum palla patenam: complicat corporale (cavendo ne illud recta erigat) complicatum immittit in bursam, quam in eo, ubi jacebat corporale loco relinquit quoadusqué contexerit velô Calicem; bursâ deinde superpositâ illum in medio collocat, quemadmodum in principio Missæ.

XXVII. Nota, quòd dum Celebrans Calicem coopertum deferens bursæ, aperturam debeat ad se convertere, opus sit, ut ad hoc attendat, quando post Communionem Calici bursam imponit, quapropter si velum æqualiter pendeat ex ambabus partibus, neutraque pars sit pulchrior altera, vertere ad se debet aperturam bursæ, quia recedendo ab altari velum supra bursam componet, & Calicem antrorsum accipiet; jam verò si velum partem duntaxat anteriorem tegat, vel effigies quædam reperiatur quam super bursam replicare non deceret, tunc ejusdem bursæ apertura vertenda est ad Crucem, quia recessurus ab altari convertere debet Calicem ut eum ex illa parte accipiat.

XXVIII. Si Hostiæ consecratæ super altari, aut in pixide aut in alio vase ad finem usqué Missæ permanerent, relinquendæ illæ forent, supra explicatum corporale, atqué collocandus esset Calix in cornu Evangelii; & in hoc casu gereret se se Sacerdos, ac si expositum esset Sanctissimum Sacramentum, qua de re agitur inferius Articulo 14.

ARTICULUS XI.

De Orationibus post Communionem ad finem Missæ nec non de Communione citra Missam administr nda.

I. Collocato, uti supra dictum est, ad medium altaris Calice, Celebrans jungit manus, & facta Cruci inclinatione capitis incedit ad cornu Epistolæ ubi elata voce legit Antiphonam, quæ Communio nuncupatur, eiqué tempore Paschali subjungit semel *Alleluja.* postea junctîs manibûs revertitur ad medium altaris, ibiqué manibûs extensîs & hinc inde super altare positîs illud osculatur in medio, jungit denuò manus & vertit se ad populum dicitqué *Dominus vobiscum.*

II. Ad librum redit eâdem viâ recitatqué Orationes, Postcommuniones dictas, talî modô, talî numerô, taliqué ordine, quàli ad initium Missæ eas recitavit, quas collectas sive simplices orationes vocant.

III. Tempore Quadragesimæ à Feria quarta Cinerum ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ, cùm de feria habetur Missa, Sacerdos finitîs Orationibûs, modô consvetô stans in eadem parte Epistolæ ante librum addit cum capitis inclinatione versùs Crucem solito more. *Oremus.* postea erigens se, & caput inclinans ad librum profert eôdem tonô, ac junctîs manibûs: *humiliate capita vestra DEO.* erectus iterum sequentem Orationem prosequitur ut aliàs, manibûs apertîs & extensîs.

IV. Completa ultimæ orationis conclusione, Missale dextrâ claudit, ita ut sectura libri conversa sit ad calicem [b[sed si Evangelium aliud à consueto *secundum Joannem* legendum esset, Missale relinqueret apertum; postea junctîs manibûs ad medium altaris progressus, illud osculatur deponendo manus hinc inde super ipsum, vertit se ad populum, ac more solito dicit: *Dominus vobiscum* postquam à ministro responsum est. *& cum spiritu tuo*; ipse jun-

(b) Gavant. *part. II. tit XI.*

ctîs manibûs, & adhuc ad populum conversus addit, eôdem tonô vocis. *Ite Missa est.* tunc quando hymnus *Gloria in excelsis.* in hac Missa dictus fuerit; sin secùs: Dictô *Dominus vobiscum*, vertit se ad altare & ibi *Benedicamus Domino* dicit, locò *Ite Missa est:*

V; Junctîs super altari manibûs, & mediocriter inclinatus dicit voce submissa: *Placeat tibi Sancta Trinitas*, quô dictô altare deosculatur, manibûs hinc inde extensîs postmodum erectus elevat oculos ad cælum, extendens ac elevans eodem tempore manus, quas statim ante pectus iterum jungit. profert interim elata voce. *Benedicat vos omnipotens DEUS*: atqué facta capitis inclinatione ad Crucem, vertit se ad populum junctîs manibûs, & oculîs demissîs, eiqué benedictionem impertitur, dicens eadem elatione vocis, *Pater & Filius* † *& Spiritus Sanctus.*

VI: Nota in hac benedictione sic esse procedendum; nempe sinistram primò ponendam esse infra pectus, deinde dextrâ extentâ unicum signum Crucis efformandum esse, ducendo primam lineam ab alto deorsum alteram verò in transversum, ita ut jugiter ad populum cui benedicitur conversus sit auricularis digitus.

VII. Finita benedictione perficiens circulum ad cornu Evangelii, ubi erecto corpore, junctîsqué manibûs profert elata voce. *Dominus vobiscum*: deinde pollice manûs dextræ expansæ signum Crucis effingit, ubi incipit textus Evangelii in libro, aut in charta si adsint, aut in eorum defectu super altare, tum super se; sicuti ad primum Evangelium dicens elata voce: *Initium* vel *Sequentia Sancti Evangelii*, eôdem tonô cætera prosequitur manibûs junctîs,

VIII.

VIII. Ad hæc *Et Verbum Caro factum est.* genuflectit versùs cornu Evangelii, non autem directè ad ipsum altare, in quo tamen manus interim apponit.

IX. Postea erectus, ac manibûs iterum junctîs complet in eodem loco Evangelium ad cujus finem nec osculatur librum, aut chartam, nec addit. *Per Evangelica dicta.* Si pro legendo ultimo Evangelio usus fuerit Missali, dextra illud claudit, ita ut sectura ejus conversa sit ad cornu Evangelii, non verò ad calicem: [c] in hoc enim nullius ratio habetur mysterii, sed decentiæ duntaxat, quæ requiritur ut liber dextrâ potiùs, quàm sinistrâ claudatur.

X. Legitur semper Evangelium Sancti Joannis in fine Missæ, nisi fiat Officium alicujus festi in Dominicam aut in Feriam cui proprium adscribitur Evangelium incidentis, tunc enim in locum Evangelii *secundùm Joannem* in fine Missæ substituitur proprium Dominicæ illius aut feriæ. Nihilominus in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ubi duæ Missæ cantantur eodem die. altera scilicet de festo, & altera de feria proprium Evangelium habente, tunc in utraqué Missa ultimum Evangelium est Sancti Joannis: præterea, quando incidit Vigilia Nativitatis in Dominicam quartam Adventûs, tunc etiam legitur in fine Missæ Evangelium Sancti Joannis, non verò Dominicæ, quia de eo lectio facta non fuit in Officio.

XI. Hæc insuper circa vltimum Evangelium notanda occurrunt. 1mò. Quòd ad tertiam Missam Nativitatis Domini legitur in fine Evangelium Festi Trium Regum. *Cùm natus esset JESUS.*

(c) Gavan t. *part. II. tit. XII. de Bened. in fine Miss.*

2dò.

2dò: Quòd Dominicâ Palmarum in Missis privatis pro ultimo Evangelio illud accipiatur, quod est pro Palmarum benedictione: in Missa verò solemni consuetum Sancti Joannis. 3tiò. Quòd omittatur Evangelium Vigiliarum in Quadragesima, aut quatuor temporibus occurrentium, etsi de illis facta sit in Missa commemoratio. 4tò. Quod in fine Missarum Votivarum, aut pro Defunctis, semper *Sancti Joannis* & nunquam aliud legatur Evangelium.

XII. Sacerdos si sacras vestes induerat ad altare, tunc finitô Evangeliô accedit ad medium altaris, & ibi factâ reverentiâ Cruci, postea iterum redit ad cornu Evangelii, ubi paramenta deponit [d] dum autem exuit se se, recitat Antiphonam. *Trium puerorum* cum Cantico *Benedicite* & cæteris precibus; at si alibi ut convenientiùs est exui debeat, ad medium altaris progreditur, ubi præmissa capitis inclinatione ad Crucem, sinistrâ per nodum Calicem accipit, dextram verò super bursam imponit, nullaque alia facta inclinatione, vertit se à dextra ad lævam retrocedens parumper ad cornu Evangelii, & in planum descendit.

XIII. Postquam descendit, Crucem profunda inclinatione, aut Sanctissimum Sacramentum si adsit, genuflexione, supra ultimum gradum veneratur, postea accipit pileum, & illô tectus revertitur ad sacristiam cum gravitate ac modestia, sicuti venerat, submissè recitans *Trium puerorum* Antiphonam, & Canticum *Benedicite* & alias preces; ingressus in sacristiam inclinat se Cruci, quemadmodum fecerat in exitu.

XIV. Quomodo Calix erat in altari positus sub

(d) Merat. *part. II. tit. XII. de Bened. in fine Miss.*

finem

finem Missæ, ita illum hic in loco suo reponit, postea pileô depositô; apparatus exuit, ab iis incipiendo, quos ultimò induit; & quos ornando se se, osculatus est, eosdem exuendo deosculatur, stolam videlicet, manipulum & amictum: caveat ne Albam uno actu exuat supra caput, sed extractâ primùm manicâ è brachio sinistro, partem Albæ ad humerum dextrum per verticem capitis trajicit, & è brachio dextro manicam alteram extrahit.

XV. Quanquam Sanctissimum Sacramentum ab ultima ablutione non tetigerit, decet tamen ut exutus, manus lavet, & ut sit ad hunc effectum manutergium aliud ab eo, quô ante Missam manus absterserit, deinde operam dat gratiarum actioni, eo devotionis affectu, qui perceptis ex hoc augustissimo mysterio summîs beneficiîs correspondeat.

XVI. Si sacram Communionem administraturus sit, extra Missam observare debet quæ sequuntur. 1mò: Lotis manibûs induit superpelliceum, cum stola coloris officio competentis, [e] quam juxta se pendere sinit ex ambabus partibus. 2do. Incedit ita ad altare, gressu modesto, tecto capite bursam, corporale cum purificatorio continentem deferens, atque præcedente Clerico. 3tio: Cùm pervenit ad infimum gradum altaris, pileum Clerico porrigit, genuflectit in plano, & ascendens oram suppedanei [ministrô interea super infimo gradu genuflexô] super quam genuflexus orat aliquantulum. 4to. Ascendit ad altare, ubi corporale in consecrato lapide explicat, bursâ in cornu Evangelii, & purificatoriô in cornu Epistolæ repositis, recolit ea quæ superiùs Articulô præcedenti

(e) Rituale Roman. *de Ord. ministrand. Sacr. Eucharist.*

E nume-

numero 18. 19. & 20. dicta sunt circa comunionem in Missa distribuendam. 5tò. Clausô tabernaculô, stans adhuc penes medium altaris; vertit se ad eos, qui sacram Communionem perceperunt, eisque benedictionem impertitur dicens. *Benedictio DEI omnipotentis Patris & Filii & Spiritûs Sancti descendat super vos & maneat semper*, ad quæ respondetur à Clerico. Amen. 6tò. Conversus iterum ad altare, digitos; quibûs Venerabile Sacramentum tetigit, intingit in vasculum, quod aquam contineat, positumque sit prope tabernaculum in cornu Epistolæ, vel illos lavat penes angulum altaris, ad idem cornu Epistolæ ministro aquam supra pelvim infundente, ac posteà purificatoriô tergit. Invaluit usus, ut in sacram piscinam ablutionis aqua, projiciatur, quanquam juxta Rituale Romanum possit illam si celebravit ipse sumere, aut iis sumendam tradere, quibus Communionem dedit. 7mò. Si ferat loci consuetudo, antequam sacram pixidem in tabernaculo recondat, recitare poterit stans & ad altare conversus, Antiphonam *O sacrum convivium* &c. cum versiculo & oratione de Sanctissimo Sacramento, prout habet Rituale; in quo tamen hoc ad libitum Sacerdotis relinquitur. 8vò. Si immediatè ante Missam, quod citra casum necessitatis fieri non debet, aut immediatè post ipsam, administranda sit sacra Communio, Sacerdos nec casulam, nec manipulum deponit, sed Calicem ad cornu Evangelii removet, & benedictionem, uti dictum est: impertitur.

* * *

ARTI-

ARTICULUS XII.

De Missa pro Defunctis quibus diebus fieri possit, & quæ in ea observanda veniunt.

I. Missæ de Requiem sicut & aliæ Votivæ quolibet anni die celebrari possunt; exceptis Dominicis, Festis duplicibûs [e] & diebûs illîs quibûs non debet fieri Officium duplex, verumtamen in Festis duplicibus non feriatis juxta Rubricam generalem Missalis tit. 5. N. 2. Missa una de Requiem licitè decantari potest die depositionis, aut sepulturæ Defuncti alicujus, & in ejus anniversario quin & dum præsens est in Ecclesia & non humatum Defuncti corpus, conceditur per Rituale Romanum [f] & S. C. Rituum Decretum die 23. Maji. 1603. [g] non quidem Missas privatas, sed unam Missam solemnem celebrare, ipsis etiam Dominicis diebûs & Festis de præcepto, dummodo ex solemnioribus non sint, uti 1mæ Classis, neque idcirco Missa principalis aut conventualis omittatur.

II: Prima die cujuslibet mensis extra Adventum Quadragesimam, & tempus Paschale non impedita Officiô aliquô duplici aut semiduplicî celebrari debet, in Ecclesiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, Missa conventualis pro Defunctis Missa videlicet quotidiana cum tribus consvetis orationibus,[h] si verò occurrat eo die Festum simplex, aut Feria cui Missa propria competat, aut si Dominicæ præcedentis Missa, quæ illâ hebdomadâ, nec potuit nec poterit ullo alio die dici; resumenda sit,

(e) Rubr. Miss. 2. *de Miss. Defun.* (f) Ritual. Roman. *de Exequiis* (g) Vide Merat. *in Indic. Decret.* (h) Rubr. Miss. 1. *de Miss, Defun.*

tunc

tunc verò duæ sunt Missæ decantandæ, alia pro Defunctis, alia verò de Feria aut Festo simplici: Dici quoqué potest conventualis Missa pro Defunctis qualibet Feria 2da quando fit Officium de ea etiam tempore Adventûs, non tamen Quadragesimæ nec tempore Paschali, siqué occurrat eo die Festum simplex, vel si sit propria Missa Feriæ, aut quæ resumi debeat ex Dominica præcedente, dicenda tunc est Missa de die cum commemoratione pro Defunctis. Quod autem attinet ad privatas Missas, quæ die 1ma mensis & Feriâ 2dâ cujuslibet hebdomadæ celebrantur, sufficit in illis quando contingunt casus supra notati, de Defunctis commemorationem facere, addendo orationem *Fidelium.* [i]

III. Sacra R.C. 5. Augusti 1662. inhibuit omnibus tam Sæcularibus quàm Regularibus Sacerdotibus ne in Festo duplici; quod non est de præcepto legant privatas Missas de Requiem neve illas transferant in alium diem non impeditum, propter damnũ quod pati posset anima Defuncti ex hac procrastinatione, mandavitqué ut in hoc casu Missa diei applicetur pro Defunctis ad mentem Benefactorũ[l] ac deinceps hoc idem Decretum alio posteriori explicans 22. 9bris 1664. declaravit præfatam inhibitionem non extendi ad anniversaria & Missas solemnes pro Defunctis, quæ quotannis die obitûs eorum cantantur ad ipsorum ultimæ voluntati satisfaciendum, etiamsi contingeret illo die celebrari Festum majus non feriatum, quæ sua firmavit Authoritate Alexander 7. Brevî suô 22. Januarii Annô 1667.

IV. Si dies anniversaria in Dominicam aut Festum

(i) Rubr. Miss. 1. *de Miss. Defun.* (l) Vide Merat. *in Indic. Decret.*

um d præcepto incidat, commutanda est in diem præcedentem, ob allatam in superiori Decreto 5ta Augusti 1662. rationem, [m] quod observari quoque potest pro die 3. 7. & 30. post obitum, & cæteris diebûs, quibus certæ quædam Missæ Defunctorum assignatæ sunt ex fundatione, vel aliis obligationibus, sed in sequentem diem non impeditam sæpius transtulit anniversaria pro Defunctis seu alias pro iisdem Missas Sac. Rit. Cong. 26. Septembris 1608. & 19. Maji 1614. [n] Quomodocunque verò fiat mutatio [si de perpetua in alium diem mutatione agatur] consulendus ille est, cui ultimas voluntates commutandi competit potestas: juxta Clement: *Quia contingit de Relig. Dom.*

V. Die obitûs, aut depositionis, sicut 3. 7. & 30. post obitum, atque anniversario Papæ, Cardinalis alicujus, & Episcopi Missa dici debet, illa quæ 1ma est ex 4. notatis in Missali pro Defunctis, ea videlicet quæ pro commemoratione omnium Fidelium adscripta est, potest eadem dici omnibûs hîs diebûs, pro quibusvis etiam Sacerdotibus Defunctis; [o] sed loco orationis communis pro hac Missa conscriptæ dicenda est Oratio talibus Defunctis propria, cum secreta, & post communione, nihilqué in hac oratione mutatur, quamvis in ea nec obitus, nec 3tiæ, 7mæ, & 30mæ, nec anniversarii diei habeatur mentio, aliæ autem duæ orationes propriæ. *Da nobis* & *Præsta nobis* quæ pro Episcopo & Sacerdote, inter diversas orationes pro Defunctis notantur, adhiberi possunt, ùt commemorationes, pro variandis orationibus, si plures dicendæ sint.

(m) Gavant. Part. 1. Tit. V. *de Miss. Defun.* (n) Vide Merat. *in Indic. Decr.* (o) Merat. Part. 1. Tit. V. *de Miss. Defun.*

VI. Pro quolibet alio Defuncto sive Clerico, sive Laico legi debet, diebûs supra memoratis, Missa, quæ secundo loco est, ut in die obitûs vel depositionis Defuncti cum oratione ad singulos hos dies accommodatâ: excipitur dies anniversaria, quâ dicitur tertia Missa, quæ propria est illius diei.

VII. Exceptis supra nro 5to specificatis diebûs Missa ordinaria Defunctorum, quæ 4ta est in Missali pro Defunctis qualibuscunque semper legitur, & in locum 1mæ orationis substituitur ei alia conveniens Defuncto, pro quo celebratur, atque post istam dicuntur duæ sequentes, nempe *DEus veniæ largitor* & *Fidelium*. Verùm si pauci effluxerunt dies à morte Defuncti, vel cum primùm habita fuerit certa notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit Missa *de Requiem*, ut in die obitûs cum una oratione, illa nempe quæ assignatur pro tertio die, omissô hôc vocabulô *tertium:* etiam in festo duplici majori, quòd non sit de præcepto: ita S. R. C. 4. Maji 1686. [p]

VIII. Una tantùm dicitur oratio die commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum 2da 9bris sicut & in die obitûs, aut depositionis Defuncti, 3tio, 7mo, & 30mo post obitum in anniversario: ac tandem quoties pro Defunctis solennius, hoc est cum extraordinario aliquo apparatu vel in magno populi concursu celebratur, [q] eam ob rem mos invaluit in quibusdam communitatibus unam recitare orationem in solennibus anniversariis quæ quotañis celebrantur pro Confratribus, ac Benefactoribus defunctis; inde tamen concludi non debet, pro aliis, quæ minoris sunt solennitatis

(p) Merat. *in Indic. Decret.* (q) Rubr. Miss. 3. *de Miss. Defun.*

citra casus hic expressos. In Missis de *Requiem* quotidianis prout fit in Festis simplicibus ac Feriis plures dicendæ sunt orationes, quod evidenter infertur ex Generali Missalis Rubrica tit. 5to nro 1. ubi assignatur pro Missa conventuali 1mo die non impedito cujuslibet mensis Missa quotidiana Defunctorum in qua, quamvis cantetur, tres tamen dicendæ sunt orationes.

IX. Orationes omnes, quæ dicuntur in Missis de *Requiem*, debent esse propriæ pro Defunctis: nec ullam pro vivis unquam addere licet. Quando plures dicuntur ultima debet esse. *Fidelium DEus.* Penes arbitrium est Sacerdotis prosam. *Dies iræ.* recitare vel omittere, sed eam legere tenetur quando unica lecta est oratio.

X. Præter diem obitûs, aut sepulturæ & diem anniversarii, dies alii exceptô tertio, septimô & trigesimô, non enunciantur in orationibus: dies autem illi 3. & 7. & 30. computari solent à die depositionis aut sepulturæ Defuncti, quemadmodum inferri potest ex orationibus pro illis diebus propriis, nisi aliud ferat locorum consuetudo.

XI. Praxis instituta & approbata à S. Gregorio Magno Lib. 4. Dyalog. 55. celebrandi per 30. continuos dies Missam pro Defunctis prohibita non fuit à Sacra Rituum Congregatione, uti patet ex ejus declaratione facta 28. Octobris 1628. [r] sed inhibuit tantùm hæc Sacra Congregatio, ne 30. aliæ Missæ Votivæ, quæ ad Calcem quorundam Missalium insertæ sunt, quæque Gregorio Magno sub triennarii nomine falsò attribuuntur. Jam verò ut in his servetur approbatus ab Ecclesia usus, oportet 1mò per 30, dies Missam celebrare pro De-

(r) Merat. *in Indic. Decret.*

functis sive illa sit de Requiem, sive de die, quæ mutari non debet, quando per Rubricas præscribitur. 2dò non necessariò requiritur ut hæ 30. Missæ celebrentur ab uno eodemqué Sacerdote, sed à pluribus celebrari possunt, dummodo una tantùm quotidie præter 3. ultimas majoris hebdomadæ dies sine interruptione celebretur, vitanda tamen superstitiosæ numeri dierum observatio, quam prohibet Conc: Trid: Sess. 22. Decr. de observatione 3. si quis has Missas celebrare incipiat à die obitûs vel depositionis Defuncti, observare tenetur ea quæ specialia sunt, pro 3.7. & 30. die, uti notatum est superiùs.

ARTICULUS XIII.

Quæ sint omittenda in Missis de Requiem.

I. DIctâ Antiphonâ. *Introibo ad altare DEI.* Sacerdos integrum Psalmum. *Judica me.* cum *Gloria Patri.* prætermittit, additqué tantummodo *Adjutorium nostrum.* efformatô interim super se signô S. Crucis, cætera de more prosequitur.

II. Ad initium introitûs non super se, sed super Librum signum Crucis producit dextrâ extensâ, ita tamen ut ea Librum non tangat, manu sinistra, interim deposita super Librum, aut altare, [s] loco *Gloria Patri* repetit: *Requiem æternam.* omittit etiam, *Gloria in excelsis, & Credo.*

III. Post *Munda cor meum,* non addit *Jube Domine benedicere:* neque *Dominus sit in corde meo.* finitô Evangeliô, Librum non osculatur, neque dicit *per Evangelica dicta.*

(s) Gavant & Merat *Part. II. Tit. XII. de his quæ omitt. in Miss. Defunct.*

IV.

IV. Recitat quidem orationem. *DEus qui humanæ substantiæ.* sed aquam non benedicit, nec *Gloria Patri:* nec Requiem æternam subjungit ad finem Psalmi *Lavabo.*

V. Ad *Agnus DEI,* manus ante pectus junctas toto tempore tenet, nec eas fulcit altari [t] quia pectus non percutit & in locum. *Miserere nobis.* substituit. *Dona eis Requiem.* 3tiò addens *sempiternam.*

VI. Primam trium orationum, ante Communionem omittit, neque dat pacem.

VII. Locò *Ite Missa est:* aut *Benedicamus Domino* dicit in fine Missæ conversus ad altare, ac junctîs manibûs, *Requiescant in pace,* semper in numero plurali.

VIII. Benedictionem populo non impertitur sed dictô: *Placeat.* osculatur altare, & incedit junctîs manibûs ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium S. Joannis quod nunquam mutatur.

IX. Si administranda est Communio in Missis *de Requiem,* ut fert praxis Ecclesiarum Urbis, [u] & Rubrica Missalis *de Requiem* Venetiis editi dicit: *si qui sunt communicandi, communicet eos* [x] tunc nec post Communionem, nec in fine Missæ benedictio datur [y] Communio verò distribui potest, tum ex particulis in eadem Missa consecratis, cum ex præconsecratis in alia Missa, & in tabernaculo, asservatis: [z] abstinendum tamen esse ab administranda Communione fidelibus immediatè ante & post Missam Defunctorum, cùm extra Missam in paramentis nigris non est distribuenda Commu-

(t) Merat *Part. IX. Tit. XII.* (u) Merat. *Part. II. Tit. X.* (x) Missal. Defun. Venet. *Editum Anno Domini 1676.* (y) Castaldus *Lib. II. Sect. XIV. de Sacrament. administrand.* (z) Merat. *Part. II. Tit. X.*

E 5 nio

nio, sed requiritur color conveniens diei, ut præscribit Rituale Romanum. [a].

ARTICULUS XIV.

De Missa lecta coram SS. Sacramento exposito.

I. Statim ac Celebrans in Chorum aut Capellam, ubi expositum est SS. Sacramentum ingreditur, quamprimùm illud advertit, pileum sive biretum deponit, quem ministro deferendum tradit, aut ipsemet præ manibus tenet, si Calicem non deferat.

II. Cùm ad altare pervenerit, sistit se infra ultimum gradum, ibique pileum si deferebat eum porrigit ministro, postea in plano genua [b] flectit & SS. Sacramentum, devotè & inclinando caput, adorat.

III. Postquam ascendit ad altare Calicem imò collocat in cornu Evangelii, deinde genuflectit, quam genuflexionem in decursu Missæ toties præstare debet, quoties accedit ad medium altaris, aut ab eo recedit, aut transit per medium, aut ad populum se vertit. En specialiùs quibus in circumstantiis fieri debeat hæc genuflexio.

IV. Explicatô corporalî & præparato calice, antequam eat ad aperiendum Librum.

V. Reversus ad medium altaris, priusquam descendat.

VI. Postquam infra gradus descendit, antequam Missam inchoet genuflectit super infimum gradum

(a) Ritual. Roman. *de Ord. administrand. Sacr. Euchar*, (b) Gavant. & Merat. *Part. II. Tit. XIV. de his quæ adden: sunt coram SS. Sacram. Exposi.*

dum

dum altaris unicô tamen genû sine capitis inclinatione, finita tamen confessione ascendit ad altare sine genuflexione [c]

VII. Cum item pervenit ad altare, ante & post: *Oramus te Domine.*

VIII. Ante *Kyrie eleyson.*

IX. Quotiescunque se ad populum vertit ut dicat *Dominus vobiscum*, aut quid simile, aut tunc, quando se iterum ad altare convertit.

X. Quo circa duo sunt annotanda: primum est, quòd cum Sacerdos jam aliquandiu stat penes medium altaris, antequam se ad populum vertat pro *Dominus vobiscum* aut pro *Orate Fratres*: primùm debeat osculari altare, deinde genuflectere, ac tandem se ad populum convertere. Si è contra ab alterutro altaris cornu ad medium mox pervenit ad dicendum *Dominus vobiscum* tunc genuflectit primùm, postea erigendo se se altare deosculatur, atque demum se ad populum vertit. [d] Alterum est, quòd dum *Dominus vobiscum*, aut aliud simile dicit, debeat tantùm esse semi-conversus ad populum, & aliquantulùm recedere ad cornu Evangelii, ne SS. Sacramento obvertat dorsum, [e] secundò genuflectit, cum se rursus convertit ad medium.

XI. Genuflectit etiam, ante & post *munda cor meum.*

XII. Post Evangelium ad medium altaris perveniens.

XIII. Post oblationem Hostiæ, antequam vinum & aquam infundat in Calicem, & postquam infudit, ante Calicis oblationem.

(c) Merat. *Ibidem.* (d) Bauldr. *Part. III. Cap. XVII.* (e) Rubr. Miss. *Fer. 5. in Cæna Domini.*

XIV.

XIV. Ante & post manuum lotionem; manus autem lavat extra gradus in plano [f] aut saltem aliquantulùm extra altare, ad partem Epistolæ faciè ad populum versa, ne SS. Sacramento tergum obvertat, vertere se debet à dextra ad lævam.

XV. Antequam vertat se ad *Orate Fratres*, & tunc integrum circulum non perficit, sed per eandem partem revertitur, & reversus iterum genuflectit.

XVI. Sumpta purificatione, antequam Calicem accipiat, quô acceptô progreditur ad cornu Epistolæ, ubi more solito digitorum ablutionem recipit, atque ante medium altaris reversus genuflectit, ac ablutionem modô consuetô sumit.

XVII. Ornato Calice antequam lectum eat Antiphonam, quæ Communio dicitur.

XVIII. Postquam dixit. *Ite Missa est* vel si dicendum esset *Benedicamus Domino.* genuflectit post *Dominus vobiscum* & illud profert facie versa ad altare.

XIX. Ad dandam Benedictionem primùm osculatur altare, deinde dicit: *Benedicat vos omnipotens DEus*, quibûs verbîs prolatîs genuflectit, & retrogressus parumper ad partem Evangelii pergit *Pater & Filius & † Spiritus Sanctus*, postea nec circulum complet, nec etiam ad medium altaris redit, sed ad cornu Evangelii tendit, ubi nulla præmissa genuflexione ultimum Evangelium legit ut moris est.

XX. Signum Crucis non super altare, sed super Librum aut chartam, si adest, ac deinceps super semet ipsum efformat. [g]

(f) Merat. *Ibidem.* (g) Rubr. Miss. *in Cœna Domini.*

XXI.

XXI. Ad hæc verba: *& Verbum Caro factum est*, genuflectit tantisper conversus ad SS. Sacramentum: quod observandum quoque foret, dum legitur primum Evangelium aut etiam Epistola, si quædam in iis verba reperirentur ad quorum prolationem præscribitur genuflexio.

XXII. Completô Evangeliô antequam Calicem accipiat, genuflectit, caveatquè ne descendendo dorsum vertat SSmo Sacramento.

XXIII. Postquam descenderit infra gradus flectit in plano utrumquè genu, ac SSmum Sacramentum ut ante Missam veneratur, receptô postea pileô in eo loco ubi illum deposuerat, tegit caput, & vadit ad sacristiam.

ARTICULUS XV.

De Missa lecta coram Cardinali quovis in loco, v: Archiepiscopo in sua Provincia, v. Episcopo in sua Diœcesi.

I. SI Sacerdos eundo ad altare transeat ante aliquem ex Prælatis mox nominatis, ipsum inclinatione profunda ac capite detecto, si Calicem non deferat, si verò deferat tecto capite inclinatione tantùm mediocri veneratur, sed convenientius est, ut Calix & Missale, priùs in altari disponantur, quam accedat Sacerdos, ne diutius detineatur Prælatus.

II. Præparatis Calice & Missali descendit infra gradus ad partem Evangelii stante Prælato, ut supponitur, vel in medio altaris v ad cornu Epistolæ, stat autem ipse paulisper conversus ad Prælatum, donec is annuerit ipsi, ut incipiat, tumque celebrans

in

in eodem loco stans inclinat se profundè Prælato, [h] deinde convertit se ad altare factaqué profunda pariter inclinatione Cruci, aut genuflexione si fuerit Venerabile Sacramentum, inchoat Missam.

III. Ad *Confiteor* locò *vobis Fratres & vos Fratres* proferre debet *Tibi Pater* & *Te Pater* inclinatus profundè ad Prælatum. [i]

IV. Dictô *Oremus* iterum se profundè inclinat Prælato, & progreditur ad medium altaris, incedendo juxta infimum gradum, ubi recitare incipit orationem *Aufer à nobis*, quam complet gradus ascendendo, cætera consuetô modô peragit, iis duntaxat exceptis quæ hic sequuntur.

V. In fine Evangelii non dicit per Evangelica dicta, nec osculatur librum, quia deferendus est ad Prælatum [l] aut ab ipsius eleemosynario, si superpelliceô indutus sit, aut in ejus defectu à Clerico uti suô locô dicetur.

VI. Completâ 1mâ oratione post *Agnus DEI* celebrans osculatur altare in medio, ac subinde quod ipsi exhibetur pacis instrumentum dicens: Pax tecum.

VII. Post hæc verba *Benedicat vos &c.* vertit se ad Prælatum, cui se profunde inclinat [m] quasi facultatem petiturus dandi Benedictionem postea pergendo *Pater & Filius & Spiritus Sanctus*: ad illam partem benedicit, in qua non adstat Prælatus.

VIII. Completô ultimô Evangeliô vertit se in eodem loco ad Prælatum, quem ut ante Missam, sic & nunc profunda veneratur inclinatione. [n]

(h) Rubr. Miss. 2. *de Princip. Missæ.* (i) Rubr. Miss. 8. *de Princip. Missæ.* (l) Cæremonial Episcop. *Lib. I. Cap. XXX.* (m) Cæremonial. Episcop. *Ibidem* & Rubr. Miss. 3. *de Benedict. in fine Missæ.* (n) Rubr. Miss. 5. *de Benedict. in fine Missæ.*

IX.

IX. Dum ad sacristiam redit, si obvium sibi habeat Prælatum, eôdem modô se gerit sicut ante Missam.

X. Coram Archiepiscopo extra Provinciam suam vel Episcopo extra suam Diæcesim sacrum fit, ac si nullus adesset Prælatus, hôc exceptô, quòd celebrans possit ad ipsum mittere instrûmentum pacis, eumqué ante & post Missam inclinatione mediocri salutare, si ferat loci consuetudo, hoc idem observari potest, quando coram magnis utriusqué sexus Principibus celebrare contingit. Quod si in quibusdam locis invaluerit usus ut hujusce conditionis hominibus exhibeatur ad deosculandum Liber Evangeliorum, deferendus est alius ab eo quô utitur Sacerdos, [o] qui suum semper more solito deosculatur. Quod verò attinet ad Reges & Reginas ac alios supremos Principes, servanda est laudabilis locorum consuetudo.

ARTICULUS XVI.

Epithome seu summa Cæremoniarum Missæ privatæ.

SALUTATORIÆ VENERATIONES

Triplex est generatim loquendo salutatoria Veneratio.

I. PRostratio, quæ fit dum humi corpus totum prosternitur uti se prosternit celebrans cum sacris ministris feriâ sextâ Parasceve sub initium Officii, & Sabbathô Sanctô tempore Litaniarum.

II. Genuflexio quæ ordinariè fit alterô tantùm & utrôqué, interdum flexo poplite.

III. Inclinatio cujus tres enumerantur species

(o) Cæremonial Episcop. *Lib. I. Cap. XXIX.*

1ma

1ma est inclinatio capitis, in qua & humeri tantisper inclinantur: 2da est inclinatio mediocris, quæ peragitur, dum caput & humeri paulò plus quam in 1ma incurvantur. 3tia tandem est inclinatio profunda, ad quam Sacerdos mediam partem corporis ita inclinat, ut extremis digitis manuum genua pertingere queat.

De Inclinatione Capitis.

I. Sacerdos facit hanc inclinationem, præparato Calice in medio altaris antequam revideat ligulas Missalis in cornu Epistolæ, quod idem deinceps observabit in decursu Missæ in similibus occurrentibus occasionibus, scilicet: quoties vadit ad medium altaris, *v.* redit ab eo *v.* pertransit, dummodo eum Rubrica non obliget ad majorem faciendam *v.* altare osculandum.

II. Ad *Gloria Patri* Post Psalmum *Judica me* in *introibo* & post *Lavabo.*

III. Ad *Gloria in Excelsis* scilicet ad verba *Deo, adoramus Te, Gratias agimus tibi, JEsu Christe, suscipe deprecationem nostram*, & iterum ad *JEsu Christe* ad *Oremus* quotiescunque illud profert.

IV. Ad nomen *JESUS MARIA* & illorum Sanctorum de quibus dicitur Missa *v.* quorum fit commemoratio particularis in Missa & demum ad nomen summi Pontificis.

V. In Symbolo ad hæc verba *In unum DEum, JEsum Christum. Simul adoratur*

VI. In præfatione ad hæc verba *Gratias agamus Domino DEO nostro.*

VII. Dum dicit ambo *Memento* orans pro vivis & mortuis mentaliter, stat capite inclinato.

VIII.

VIII. Ad verba: *Tibi gratias agens*, in utraque consecratione.

IX. Ad *per eundem Dominum JEsum Christum* ante *nobis quoque peccatoribus.*

X. In Quadragesima ad *humiliate capita vestra DEO.*

XI. Finiendo hæc verba: *Benedicat vos omnipotens DEus.*

XII. In Conclusione orationum quæ finiuntur *Qui vivis* aut *qui tecum vivit & regnat cum DEO Patre in unitate Spiritûs Sancti DEus* fit inclinatio ad hæc verba: *in unitate Spiritus.* Dum SS. Sacramentum est expositum ad illud diriguntur inclinationes, quæ dirigerentur ad Crucem, si non esset expositum. Ad nomina B. M.V. & SS. sicut & Papæ nec non *Humiliate capita*: pariter ad nomen *JESUS* cum profertur in Evangelio, fiunt inclinationes ad Librum.

De Inclinatione mediocri.

I: Ad *DEus tu conversus vivificabis nos* usque ad *Oremus* orationis *Aufer à nobis.*

II. Ad orationem *Oramus te Domine*: cum pervenerit ad Altare.

III. Ad *in spiritu humilitatis.*

IV. Ad *Suscipe SS. Trinitas.*

V: Ad *Sanctus* usque ad *Benedictus* exclusive.

VI. Dum profert verba Consecrationis.

VII. Ad *Agnus DEI* usque ad finem.

VIII. Ad tres orationes ante Communionem.

IX. Ad *Domine non sum dignus* & ad Communionem dum recipit S. Hostiam.

X. Ad *Placeat Tibi Sancta Trinitas* usque ad finem.

De Inclinatione profunda.

I. Facit inclinationem profundam Cruci sacristiæ, antequam eat ad altare.

II: Accedendo ad altare, ubi sola Crux est.

III. Post descensum ab altari antequam incipiat Missam, si SS. Sacramentum non sit in altari.

IV. Per totum *Confiteor* donec respondeat *Amen* post absolutum à ministro misereatur &c.

V. Ad *munda cor meum. Jube Domine benedicere. Dominus sit &c.*

VI. Ad *Te igitur* in principio Canonis usque ad *petimus* inclusive:

VII. In fine Missæ infra gradus antequam pileum suum recipiat, si nempe SS. Sacramentum adsit in altari aut in tabernaculo:

VIII. Cùm pervenerit ad sacristiam ante Crucem sacristiæ. *Observandum 1mo* circa hasce diversas superiùs relatas inclinationes, quòd etiam si Rubricæ Missalis præscribere videantur inclinationem duntaxat capitis ad prolationem verborum Consecrationis ad *Agnus DEI & Placeat tibi Sancta Trinitas* aliunde tamen infertur, & non immeritò hanc capitis inclinationem associari debere inclinationi humerorum quam mediocrem vocamus. Enim verò quantùm ad 1mam evidens est, Sacerdotis cubitos altari innixos esse non posse [uti Rubrica in eodem loco præscribit.) § nisi inclinentur & humeri. Quod verò attinet ad alias duas inclinationes, cum Rubrica in Missali inserta absolutè dicat: quod Sacerdos ad *Agnus DEI* & *Placeat Tibi Sancta Trinitas* inclinatus esse debeat, per hoc satis indicat inclinationem istam non restringi ad inclinationem capitis sed ad mediocrem, quæ ordinariè designari solet communi inclinationis nomine.

§ Rit: Miss. § VIII. n. 5.

Infertur etiam quod inclinationem capitis à Rubrica [quando Sacerdos ab altari recedit] præscriptam, comitari debeat humerorum ac medii corporis inclinatio quæ profunda dicitur, cùm ratio & usus receptus requirant ut qualis accedendo ad altare, talis recedendo fiat inclinatio, atqui juxta Missalis Rubricam Sacerdos accedens ad altare inclinat se profundè, quin & Episcopus Pontificialiter indutus, in hac occasione; profundam exhibet inclinationem uti habetur in cæremoniali. *Lib. 2. cap. 8.*

Signo Crucis munit se Celebrans.

I. In initio Missæ dum dicit: *In nomine Patris*

II. Ad hæc verba *Adjutorium nostrum.*

III. Ad *Indulgentiam*

IV. Ad introitum cujuslibet Missæ, præterquam de Requiem, in hoc enim non super se sed super librum facit Crucem, ita tamen ut illum manu sinistra non tangat.

V. Sub finem hymni *Gloria in Excelsis* nempe ad hæc verba: *cum Sancto Spiritu*

VI. Ad utrumque Evangelium in fronte, ore, & pectore.

VII. Ad ultima Symboli verba, scilicet *& vitam venturi sæculi Amen.*

VIII. In fine Præfationis cum dicit *Benedictus qui venit.*

IX. Ad illa in Canone verba: *omni benedictione cælesti.*

X. Signat se patenâ, dum in *Libera nos* dicit; *Petro & Paulo.*

XI. Item SSmô Sacramentô dicens: *Corpus Domini nostri JEsu Christi* & sacro Calice ad hæc verba: *Sanguis Domini nostri JEsu Christi.*

Manus extendit ad humeros, elevat, ac iterum ante pectus jungit.

I. Ad *Oremus* quotiescunque profertur, & ante orationem *Aufer à nobis.*

II. Ad *Gloria in Excelsis &c.*

III: Quoties ad populum profert *Dominus vobiscum*, quod quater accidit: *1mò* ante orationes, *2dò* ante Offertorium *3tiò* post Communionem, *4tò* ante *Ite Missa est v. Benedicamus Domino.* aut *Requiescant in pace* pro ratione Missæ.

IV. Ad *Credo*, jungendo illas autem ad *in unum DEum*: quæ verba jam junctis manibûs dicit.

V Ad *Orate Fratres.*

VI. Ad *Veni Sanctificator.*

VII. Ad *Sursum Corda* manus elevat ante pectus, usque dum proferat. *Gratias agamus Domino DEO nostro*; quas adhuc paulo altiùs elevat [juxta Cæremoniale Papæ] & jungit ad *DEO nostro.*

VIII. Ad *Te igitur* in Principio Canonis.

IX. Ad utrumque *Memento.*

X. Ad *Fiat dulcissimi Filii tui.*

XI. Ad *Benedicat vos omnipotens* jungendo illas ad *DEUS.*

Junctas manus super altare ponit.

I. Ad *Oramus Te Domine* usque ad *quorum Reliquiæ hic sunt.* exclusivè.

II. Ad *in spiritu humilitatis*

III. Ad *Suscipe S. Trinitas.*

IV. Ad *Te igitur Clementissime Pater*: usqué ad *petimus* inclusivè.

V. Ad Adorationem Hostiæ ante elevationem.

VI. Ad *Supplices Te rogamus*, usque ad hæc verba: *ut quot quot*: inclusivè.

VII. Ad tres orationes ante Communionem.

VIII. Ad *Placeat Tibi S. Trinitas.*

Osculatur Altare.

I. Ad *quorum Reliquiæ hic sunt.*

II. Quotiescunqué se vertit, ut dicat; *Dominus vobiscum* quod quatuor vicibus accidit, ut dictum est superiùs.

III. Ante *Orate Fratres.*

IV. Ad *ut accepta habeas*: ab initio Canonis:

V. Ad *ex hac altaris participatione*: post Consecrationem.

VI. Si pax datur, antequam dicatur *Pax tecum.*

VII. In fine Missæ dictô *Placeat Tibi S. Trinitas* quamvis non sit daturus benedictionem: uti in Missis Defunctorum.

Habet apertas & elevatas manus ad scapulas.

I. In orationibus, quas dicit in principio Missæ sicut & ad secreta, & post Communionem.

II. Ad Præfationem.

III. Ad majorem partem Canonis.

IV. Ad *Pater noster.*

Tenet manus separatas supra altare,

I. Quotiescunque osculatur altare, *v.* facit genuflexionem.

II. Ad Epistolam, & ad ea quæ sequuntur, post illam, nisi illas ponat supra Missale.

III. Ad hæc verba Præfationis. *Per omnia sæcula &c.* & *Dominus vobiscum.*

IV. Ad *per omnia sæcula &c.* ad *Pater noster.*

Tenet manum ſiniſtram ſupra altare.

I. Quoties dextra aliquid operatur; exceptîs certîs quibûsdam caſibûs, ubi eam tenet ſupra pectus, vel ſupra Librum prout dictum eſt Art: 3. n. 4. & hic ſpecialiùs notatur.

Nota. Quando Sacerdos format Crucem ſupra ſe, *v.* ſupra Aſſiſtentes, *v.* quando aliquod aliud benedicit penes altare, ad quod ſe totaliter vertit ut dum incenſum, *v.* Diaconum ante Evangelium benedicit, tenet eam ſupra pectus: Ponit eam verò ſupra Librum, quando Crucem facit in eo Libro. Jam autem ponit ſupra altare; quando Cineres, Palmas, Cæreos, Subdiaconum poſt Epiſtolam benedicit, tali modô: ut ſolùm tantiſper ſe vertat ab altari. Ponit eam adhuc ſupra altare, quando vertit folia Miſſalis, *v.* quando facit aliquod aliud verſus altare.

II. Quoties format Crucem ſuper Hoſtiam, *v.* Calicem, *v.* utraque ſimul.

III. Ad *Nobis quoque peccatoribus.*

IV. Ad *Libera nos quæſumus Domine.*

V. A *Primo Miſerere nobis* dicendo *Agnus DEI* uſque ad *dona nobis Pacem* incluſivè.

Tenet manum dextram ſupra altare.

I. Quotiescunque ſiniſtrâ vertit folia Libri.

II. Ad *Domine non ſum dignus.* præterquam dum percutit pectus.

Elevat oculos.

I. Ad *Munda cor meum.*

II. Ad *Suſcipe S. Pater.*

III. Ad *Offerrimus tibi Domine* per totã orationẽ

IV. Ad *Veni Sanctificator.*

V. Ad *Suſcipe S. Trinitas.*

VI. In Præfatione ad *DEo noſtro* poſt *gratias agamus.*

VII. Ad *Te igitur* in principio Canonis.

VIII. Ad verba *elevatis oculis* ante Conſecrationem Hoſtiæ.

IX. Ad utramque Elevationem SSmi Sacramenti, ſemper illos fixos in SSmum tenendo.

X. Ad *Benedicat vos omnipotens DEUS.*

Pronunciatio eſt triplex: alta, mediocris & demiſſa.

Pronunciatio demiſſa.

I. Ad hanc orationem *Aufer à nobis. Oramus Te &c.*

II. Ad *Munda cor meum. Jube Domine & per Evangelica dicta.*

III. Ab Offertorio uſque ad Præfationem, exceptis his duobûs verbîs: *Orate Fratres.*

IV. Ab initio Canonis, uſque ad *per omnia ſæcula &c.* ante *Pater noſter* exceptîs hîs tribûs verbîs *Nobis quoque peccatoribus.*

V. A *Pater noſter*, uſque ad Antiphonam, quæ Communio vocatur exceptîs hîs *Per omnia ſæcula: Pax Domini &c. Agnus DEI &c.* & iſtîs quatuor *Domine non ſum dignus.*

VI. Ad *Placeat Tibi Sancta Trinitas.*

Pronunciatio mediocris.

I. Ad *Orate Fratres* ad *Sanctus.*

II. Ad *Nobis quoque peccatoribus.*

III. Ad *Domine non ſum dignus.*

In Reliquis eſt pronuntiatio alta ut patet ex tit. 16. Rubricæ Generalis.

ARTICULUS XVII.
De Officio Ministri.

Quid ipsi incumbat, antequam ornet se Sacerdos.

I. CElebrandæ Missæ lectæ ministraturus, manus primùm lavet, nisi eas paulò ante laverit. Demùm, si Clericus est, superpelliceo se induat, dicendo demissè hanc orationem: *Indue me Domine hominem novum, qui secundùm DEUM creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis.* Congruum est etiam, ut offerat DEO actionem sanctam, quam aggreditur, uniens intentionem suam intentioni Ecclesiæ, & Sacerdotis.

II. Finita oratione, præparat necessaria ad Missam, si nondum sint præparata, incipiendo ab ornamentis, quæ disponuntur sequenti modo: 1mò Extenditur supra mensam casula, per medium plicata retrorsùm, nè cadat in terram. Si verò ex pretiosioribus sit, ponitur in longum supra mensam. 2dò. Ponitur stola supra casulam in quatuor partes plicata. 3tiò: Manipulus supra stolam in formam Crucis, 4tò. Cingulus supra manipulum, eôdem modô, sicut stola applicatur. 5tò. Superimponitur alba, & elevatur retrorsùm. 6tò. Extenditur amictus supra albam, replicatîs desuper funiculîs. 7mò. Super amictum ponitur, *si commodè haberi possit* [p] superpelliceum, elevaturqué, sicut & alba, retrorsùm. Advertendum est: ut ornamenta eleventur à terra spatiô unius aut medii pedis. 8vò. Ex parte dextra ponitur byretum & strophiolum, si Sacerdos proprium non habeat, sed nihil horum supra Calicem, vel Missale poni debet.

(p) Rit. Missal; *de præparat. Sdcerdot.* num. 2.

III. Parat urceolos, si nondum sint parati, quorûm unum replebit vinô, alterum aquâ, idqué accommodè ad signacula haberi solita super urceolis, eosqué coopertos, vel si desint opercula, superposito eisdem mantili, reponit in pelvi. Acceptô denique tintinnabulo, nisi hoc jam existere sciat circa altare, defert simul omnia ad credentiam, vel ad alium locum in cornu Epistolæ; tamen non ipso altari [q] nec in ejus gradibus.

IV. Si altare non sit discoopertum, minister deponit tapetem, vel si is altari affixus fuerit [quod non expedit] eum juxta gradus involvit, & purgat scopellâ mappam, si opus fuerit. Postea erigit tabellam secretarûm, seu [ut vocant] Canonem ad pedem Crucis [r] Evangelium verò S. Joannis ad cornu Evangelii, & Psalmum *Lavabo* ad cornu Epistolæ, in quo etiam ponitur pulpitum aut pulvinar supponendo Missali supra altare.

V. Curat quoque, ut sit baccellus cum adhærente eidem, lino cærato pro accendendis cæreis, emunctorium pro iisdem extinguendis.

VI. Si sint aliqui in Missa communicaturi, providebit poni in credentia pixidem cum Hostiis parvis consecrandis, & tobaleam, cujus locò non expedit velô Calicis, nec mantili, nec superpellicei manicâ uti. Parat etiam [ubi mos est purificationis post Communionem] aliquod vas [non verò Calicem] cum vino aquâ mixto, ad abstergendum os, & marginem vasis.

VII. Si sæviat frigus, rescit à Sacerdote, an velit

(q) Rubr. Missal. XX. *de præparat. altar.* (r) Ibidem paulò superius.

lit habere ignitabulum seu foculum in altari; Item opus sit majori lumine ad legendum, accendit alium, præter accendi solitos, cæreum & candelabro impositum, collocat penes librum.

VIII. *Nota* 1mò. Quod in omnibus actionibus, quas solus facit, semper uti debeat manu dextra, non verò sinistra, nisi jam illa sit occupata, aut sola non sufficiat. Cum autem dextra quidquam agit, sinistram interim pectori admotam tenet.

IX. *Nota* 2dô. Quod eundo vel redeundo per Ecclesiam incedere debeat modestè junctis manibus, in formam Crucis, ante pectus, non tamen violenter compositis. Quando transit ante altare majus, in quo sit tabernaculum, & in eo Sanctissimum Sacramentum, facit genuflexionem; si verò non sit, inclinationem profundam Cruci desuper positæ. Coram aliis verò altaribus, etiamsi dicatur Missa, non inclinat se transeundo; genuflectit tamen post Consecrationem. Si autem in aliquo eorum expositum sit Ssmum Sacramentum, utrôqué flexô genu adorat illud. Si verò insignes solemniter expositæ sint Reliquiæ alicujus Sancti, deoqué fiat officium illo die, tunc profundam illis transeundo inclinationem facit.

X. *Nota* 3tiò. Quod dum facit aliquam reverentiam, non debet illam facere, quasi iter suum continuando, sed subsistendo paululùm, & vertendo se ad rem seu personam salutandam, eidem salutationem exhibere. Item ut genuflexio decenter fiat: non convenit erecto corpore genuflectere aut flexô primùm genu, consequenter scapulas inclinare, sed opus est ut unâ eâdemqué actione & genu demittatur, & caput cum humeris aliquantulùm inclinetur. Quod semper observandum est.

ARTI-

ARTICULUS XVIII.

Quid facere debeat minister, dum Sacerdos se induit.

I. Accingente se jamjam Sacerdote assumendis super se sacris ornamentis, minister ab eo vestem superiorem aut pallium, & galerum seu pileum recipit; quibûs in loco commodo, & ad hunc usum destinato, repositis, porrigit illi Missale, ut in eo signet Missam, quam lecturus est. Postea comitatur eum ad lavatorium, ubi si quid super sutanna, aut calceis ejus expurgandum conspexerit; id expurgari studet. Demum sinit eum lavare manus, si adsit lavatorium, eiqué tantummodò tergendis manibûs mantile admovet. Hic autem, sicut & ante, ac post quamlibet Sacerdoti navatam operam, inclinat se, quantùm fieri commodè potest, eidem mediocriter. Quod si non adforet lavatorium; minister positô ad brachium sinistrũ mantili, ac manu ejusdem brachii sustentante pelvim, dextrâ ad manus Sacerdotis aquam fundit ex aquatili, aut alio vase, quod ante & post semiosculatur. Hoc quoque observat semper, quoties aliquid ministrat Sacerdoti, aut ab eo recipit; manum tamen ejus osculari non debet.

II. Antequam Sacerdos á lavatorio ad locum, in quo sunt parata sacra ornamenta, revertatur; minister quærit tunc Hostiarum capsulam, quam Sacerdoti, stans à sinistris ejus, apertam præbet, & tantisper inversam, ad operculum dextra manu admota: ut eô sustententur Hostiæ exeuntes, utqué una illarum faciliùs à Sacerdote accipiatur. Tum illum ad singulos ornatus corpori circumponendos adjuvat eô modô: ut sequitur.

III.

III. Impositô, si adsit [ut supradictum] superpelliceô, eôqué retrorsùm adaptatô, impositi quoque amictûs ambas partes supra humeros replicat minister tunc, cum eum Sacerdos adaptavit collo suo; ita ut totum colare tegat. Quòd si aliquam partem colaris velare omitteret, de hoc reverenter admoneat Sacerdotem minister, sed non ingerendo se, sinat eum sibimet ipsi adaptare:

IV. Imponit illi decenter albam, aut saltem manicas eregit, primò dextram, deinde sinistram, ut in eas faciliùs brachia intromittantur; acceptô quoqué cingulô, cedit retrò celebrantem, ut ipsi eum porrigat. Si alba, plùs æquo, longior sit, eam circa cingulum sublevat, ita, ut ex omni parte æqualiter pendeat, & à terra unô vel duobûs distet digitis. Si aciculîs, ad stringendas manicas, opus habet Sacerdos, eas illi ministrat; ipse tandem, transiens ad dextram Sacerdotis, tradit ei strophium, cingulo apponendum.

V. Reversus ad sinistram, porrigit manipulum quem, paulò infra Crucem, osculatur; nec non aciculam pro eo adstringendo, si ad hoc desint funiculi. Sicut manipulum, ita & stolam tradit, quâ porrectâ curam habet, ut Crux stolæ retrorsùm medio colli correspondeat; & ut de hoc certiorem reddat Sacerdotem, tangit in eodem loco extremitate digiti, etiamsi debitè applicata esset. Demùm casulam ipsi imponit, ita [si commodè fieri potest] ut ad eam induendam Sacerdos se inclinare non debeat. Quapropter curet illam porrigere ex obliquo, removendo partem anteriorem, quam posteriorem postea tantisper elevet; quo tempore Sacerdos cingit se casulæ chordulîs. Denique circumspiciat, an ritè, & decenter adaptata sint omnia.

ARTI-

ARTICULUS XIX.

De exitu ex sacristia ad altare.

I. SI nihil jam desit in altari præparandum, minister, stando ad dextram Sacerdotis, byretum, aut illius pileum, sed emundatum, versâ ad terram aperturâ, porrigit Sacerdoti: Hoc factô: Missale accipit, & illud ambabûs manibûs inferiùs apprehensum, superiori autem parte admota pectori, secturâqué libri ad lævam conversâ, sustinens; inclinat se profundè Cruci propè Sacerdotem, cui postmodùm mediocrem exhibet inclinationem.

II. Præcedit Sacerdotem gravî, modestôqué gressû oculîs demissîs, capite detectô, duobûs aut tribûs ab eo distans passibûs:

III. Si sacristia sita sit retro majus altare, eundo ad illud, ingreditur per partem Evangelii, postea reversurus per partem Epistolæ, si nempe hinc, & illinc detur aditus.

IV. Si transiturus sit per portam, quam oportet claudere, incedit ipse priùs, & collocat se penes hancce portam ut eam claudat statim, atque prætergredietur Sacerdos, cui transeunti sese inclinat, ostenditqué ei gradum, si quis sit, per quem ascendere, aut descendere debeat, maximè si extraneus & locorum ignarus sit Sacerdos.

V. Si transeat ante altare majus, á latere & aliquantulùm à tergo Sacerdotis, inclinat se profundè, aut genuflectit, prout habetur superiùs Art. 1: n. 9no. Cæteris autem altaribus nullam exhibet reverentiam, neque personis sibi obviantibus nisi in illis casibus, in quibus ipse Sacerdos salutare debeat.

bet similes personas, uti dictum est: Art. 2. de Missa lecta. His autem accedunt duo notanda. 1mum est: Quod dum Sacerdos ante aliquod altare ad Elevationem aut Communionem populi Sanctissimum Sacramentum genibûs flexîs adorabit, minister quoque flectit genua, ad dextram ejus parumper retro, receptô priùs pileô Sacerdotis, quem ei deinde reddit, postquam fecerit genuflexionem cum eo, & surrexerit. 2dum est: Quod dum obvium habet Cardinalem, aut Archiepiscopum Provincialem, aut Episcopum Diœcesanum, pro more locorum & consuetudine, genuflectit coram illis, aut iisdem profundè se inclinat; quamvis Sacerdos Calicem deferens, mediocrem tantùm, inclinationem exhibeat.

VI. Si aditus ad altare sit ex parte Epistolæ accedens ad illud, tantisper à suppedaneo recedit, ut inter se, & altaris suppedaneum transitum liberum relinquat Sacerdoti; cui tunc se mediocriter inclinat.

VII. Perveniens ad ultimum gradum altaris, aut ejus suppedaneum, si gradus alii non sint; collocat se ad dextram Sacerdotis, pileum, *v.* byretum ejus dextra manu recipit cum semiosculo, hæcq; manu sinistra tenens, genuflectit in plano, si adsit Ssmum Sacramentum in altari, si verò non adfuerit inclinat se profundè. Quamvis juxta Rubricam Missalis tit. 5. n. 7. Diaconus & Subdiaconus in Missa solenni genuflectere semper debeant ad Crucem altaris, & idem inferri posset pro Clerico Missæ privatæ ministranti, tamen ex usu communiter recepto, non tenetur, nisi ad inclinationem profundam Cruci, quando SS. Sacramentum non adest in altari.

VIII. Notandum: quòd ad similem inclinationem

nem

nem vel genuflexionem in decursu Missæ toties teneatur, quoties per medium altaris transit; ubi tamen plures sunt gradus, usus est: ut super ultimo flectat. Quando verò Missale transfert ab uno ad aliud cornu altaris, ad secundum tantummodo descendit gradum ibiqué genuflectit, ubi autem absqué gradibus suppedaneum est genuflectit semper in plano.

IX. Ascendit ad altare, non per anteriorem partem, sed per cornu Epistolæ Librumqué in pulvinari aut pulpito ita ponit, ut ejus apertura ad medium altaris versa sit. Tum byretum loco quidem decenti reponit, sed non super altare ipsum, in quo ea solùm reponenda sunt, quæ ad Sacrificium Missæ, vel ad altaris ornatum spectant, juxta Rubricam generalem tit. 20. Ubi plures sunt, iiqué magnæ longitudinis gradus, minister ascendit ad altare per partem anteriorem, pauló post Sacerdòtem, ne pari cum eo ambulet passu.

X. Si nondum accensi sunt cærei, lumen accersit ex ea lampade, quæ coram Ssmo Sacramento ardet, aut ex alio loco, ad hunc effectum serviente, non verò à cæreis altarium, ubi Missæ celebrantur, nisi specialis necessitas urgeat; cæreum autem primò ex parte Epistolæ, demùm ex parte Evangelii accendit. Si quid in credentia desit, illud quam citissimè providet, si altare cancellis circumductum sit, illos claudit; si quis laicus collocet se in cornu Epistolæ aut Evangelii propè Sacerdotem, ita ut faciem ejus intueatur, rogat eum ut se locare velit à tergo ejus infra gradus. Hoc autem magis observandum: si fæminæ nimiùm appropinquent se altari.

XI. Ipse tandem genua flectit super plano juxta

gra-

gradus in parte Evangelii aliquantulùm retró Sacerdotem, cavetqué deinceps, nè unquam tempore Missæ flectat ad eam partem, in qua est Missale.

XII. Curat quantum potest nè strepitum edat, sive ambulando sive orando, vel sputum ejiciendo, siqué ab aliis edatur, illos tacitè admonebit signîs aut verbîs: quatenùs velint se continere in silentio ac reverentia tanto mysterio debita.

XIII. Abstinere debet ab omni lectione, durante Sacro, & animum habere occupatum sanctîs quibûsdam cogitationibûs, piisque affectibûs circa mysteria, quæ per Cæremonias exhibentur, aut etiam precibûs fundendîs; ita tamen: ut præ nimia mentis applicatione, nihil quod sui muneris & officii est, prætermittat.

XIV. Identidem respicit, an cerei extinguantur, vel diffluant, cui malo si contingeret, protinùs mederi deberet.

XV. A principio ad finem Missæ Sacerdotem nunquam deserere debet, quin priùs quempiam alium in locum suum substituerit. Si quid tamen Sacrificio deesse necessarium animadverterit, illudqué per alios inquirere non possit, quæ situm ipse iret, quo tempore Sacerdos ejus operâ non egeret.

XVI. Paulatim, ac distinctè, respondet Sacerdoti, expectans donec ea verba, ad quæ responsurus est, integrè prolata fuerint, vocemqué suam nec nimiùm attollens nec nimiùm demittens, sed eam vocis Sacerdoti accommodans.

XVII. Nullam Celebranti sese pro *Dominus vobiscum* vel *Orate Fratres* ad populum vertenti inclinationem exhibet, sed caput Cruci, vel altari in-

clinat

clinat casibus infra notatis Art: sequenti; cumqué duo sunt ministrantes uniformitatem curare debent in his & aliis quas communes habent, actionibus, sicut & in responsionibus suis.

ARTICULUS XX.

De Principio Sacri & sequentibus ad Offertorium.

I. Flectens Minister manibûs junctîs inclinat se profundè simul ac se ipse Sacerdos inclinat vel genuflectit, deinde cum illo signum Crucis producit super se palmâ dexterâ ad faciem conversâ, cumque à Celebrante dicitur *In nomine Patris* frontem extremîs digitîs pertingit, ad *& Filii* pectus: ad *& Spiritûs Sancti* scapulas, primum sinistram, deinde dextram, dictoqué *Amen* manus iterum jungit ante pectus pollice dextro in formam Crucis supra sinistrum composito, extremîs aliîs digitîs expansîs ac in altum erectîs.

II. Hæc eadem semper observat quoties manus jungit, aut format signum Crucis præterquam in utroque Evangelio ut infra dicetur; jam verò munit se signô Crucis quotiescunque Sacerdos illud super se manu vel patenâ efformat; manus autem per totum Sacrum junctas habeat, nisi circa aliquid occupentur.

III. Ad Psalmum *Judica* respondet prout habetur in Missali ubi de Ordine Missæ, ad *Gloria Patri & Filio* caput inclinat Cruci: ad ista verò *Adjutorium nostrum*; munit se signô Crucis; jungitqué iterum manus dum respondet *qui fecit cælum & terram.*

IV. Post completum à Sacerdote *Confiteor* non respondet *Amen*, sed illico recitare incipit *Misereatur tui*, tantisper inclinatus atque conversus ad Sacerdotem, (a) tempore vero quo *Confiteor* recitat, profundè inclinatus est versus altare, proferens *& tibi Pater & te Pater* convertit se ad Celebrantem junctis semper manibûs; ad *mea Culpa* ter percutit pectus extremîs dextræ digitis ad invicem junctîs, admota interim sinistra intra pectus manu. (b)

V. Manet inclinatus usque ad finem *Misereatur* quod dicit Sacerdos, ad quod respondet *Amen*, tum erectus signum Crucis efformat; dum dicit Sacerdos *Indulgentiam*, sub cujus finem *Amen* respondet. Inclinat se mediocriter ad *DEUS tu conversus*, nec se erigit nisi postquam protulerit Celebrans *Oremus*.

VI. Surgit ipso tempore quô Sacerdos ad altare conscendit, sique plures sint gradus genuflectit in infimo, sed in plano remanet ut antea genibûs flexîs si alii non sint præter suppedaneum gradus. (c)

VII. Munit se signô Crucis sub initium introitûs, postea jungit manus, Crucique caput inclinat ad *Gloria Patri*, atque respondet sine ulla inclinatione ad *Kyrie*, ad *Dominus vobiscum* & ad finem Orationum.

VIII. Ut vitetur confusio in responsionibus ad *Kyrie* meminerit minister quòd respondere debeat primum semel *Kyrie* deinde bis *Christe*, ac rursus semel *Kyrie*.

(a) Cærem. Episc. lib. 2. cap. 8, (b) Rubr. Miss. 7. *de princip. Miss.* (c) Castald. lib. 1. sect. 4. cap. 1. n. 12. & Bauldr. part. 1. cap. 16, num. 22.

IX.

IX. Per totum *Gloria in Excelsis* sexies eodem tempore, quo Sacerdos caput inclinat, nimirum ad hæc verba *DEO*, *Adoramus Te*, *Gratias agimus Tibi*, *JEsu Christe*; *suscipe deprecationem nostram*, & ad ultimum *JEsu Christe*. sub finem munit se signô Crucis prout & Sacerdos; ad orationes caput pariter inclinat quoties Celebrans profert *Oremus* vel Nomina *JESUS*, *MARIÆ* & Sanctorum de quibus fit Officium aut specialis Commemoratio; nec non ad Nomen Summi Pontificis: Quæ capitis inclinationes observandæ quoque sunt tempore Epistolæ & Evangelii. Notandum autem quod ad Nomen *JESUS* sicut & ad *Gloria Patri* ac *Oremus* inclinet se versus Crucem, ad alia verò nec huc nec illuc se vertit sed ante se caput inclinat. In Oratione *A cunctis* & in ejus Postcommunione ad solum *MARIÆ* nomen fit inclinatio, non aliorum Sanctorum de quibus habetur mentio; ex eo nempe quòd commune sit suffragium.

X. Quando diebus Quadragesimæ & quatuor temporum Celebrans ante Orationes dicit *Flectamus genua*, respondet Minister *Levate*, nec tunc se inclinans, nec se erigens, in fine verò cujuslibet Prophetiæ aut Epistolæ respondet *Deo gratias*; præterquam post quintam lectionem ex Daniele adscriptam pro Sabbathis quatuor temporum; non se movet ad librum transferendum nisi finita sit ultima Epistola, quam legit Sacerdos post *Dominus vobiscum* & sequentes Orationes.

XI. Dictô *Deo gratias* post Epistolam, surgit è vestigio Minister & incedit rectâ per planum ad medium altaris ubi inclinat se vel genuflectit juxta regulam supra datam, postea per breviorem

rem viam ſcilicet per anteriorem partem Epiſtolæ aſcendit ad altare (d) ſi Celebrans ad aliquem Gradualis verſiculum genuflectat, genuflectit & ipſe, ſi Graduale ſequatur proſa aut longus tractus, nonniſi ſub eorum finem ſurgit, ut ad Epiſtolæ cornu conſcendat.

XII. Expectat ſtans aliquantulum à tergo Sacerdotis donec iſte librum dimiſerit, quem tunc Miniſter claudit intromiſſo pollice ſiniſtro in locum Miſſæ; illumque ita clauſum cum pulvillo aut pulpito aut cinguli altitudinem elevato deferens convenientem exhibet altari ſalutationem, tranſeundo aut per ſecundum gradum ſi plures ſint, aut per pavimentum ſi non fuerint alii gradus præter ſuppedaneum. e)

XIII. Miſſale in cornu Evangelii depoſitum aperit in eo loco ubi apertum illud invenerat, ita ut ſectura ſit verſus medium altaris, hîs ita præſtitîs recedit à libro & ab eo parùm diſtans, reſpondet ad Initium Evangelii & caput inclinat ad nomen *JESUS* quod prioribus ſacri textûs verbis ſolet contineri.

XIV. Poſtea deſcendit, ac facta altari debita ſalutatione infra gradus, recipit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtat manibûs junctîs obverſa facie ad cornu Evangelii, donec in fine reſponderit *Laus tibi Chriſte.* Quod ſi antequam ad cornu Epiſtolæ pervenerit, quædam proferuntur in Evangelio verba quæ inclinationem poſtulent, ſiſtit ſe in quo reperitur loco, ut illam exhibeat.

(d) Merat. Part. II. Tit. VI. *de Epiſt. Gradual. & aliis.* (e) Merat. ibidem.

XV.

XV. Proferente Sacerdote *Initium*, aut *Sequentia S. Evangelii* &c. Signum Crucis efformat ſicut & ille dextro pollice ad frontem, os, & pectus admoto, (f) reſpondetque *Gloria Tibi Domine*, nulla tunc inclinatione facta. Si proferatur à Celebrante Nomen *JESUS* aut Sanctorum de quibus dictum eſt ſupra num. 9. toties ſe inclinat Miniſter prout ſuperius eôdem locô diximus. Sique Sacerdos genuflectat, ipſe quoque genuflectit; & ad Evangelii finem abſque inclinatione reſpondet *Laus Tibi Chriſte*, in fine ultimæ partis Paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti quæ loco Evangelii dicitur ſimiliter reſpondet excepta feria ſexta in Paraſceve.

XVI. Finita Evangelii Lectione, flectit genua; ſi *Credo* dicitur caput inclinat ad eadem verba ad quæ Sacerdos, videlicet ad *DEUM*, ad *JESUM Chriſtum*; & ad *Adoratur*, ſed profundè inclinat ſe dum dicitur à Sacerdote *Et incarnatns eſt de Spiritu Sancto &c.* ac demum munit ſe ſignô Crucis una cum Sacerdote dicente *Et vitam venturi ſæculi Amen.*

ARTICULUS XXI.

De Offertorio ad Canonem.

I. STatim atque Sacerdos perlegit Offertorium, ſurgit Miniſter, nullaque facta altari ſalutatione, tendit ad credentiam vel ad locum ubi ſunt urceoli, hos detegit relictô manutergiô, ſolam pelvim cum urceolis intus poſitis defert ad

(f) Bauldr. *part. 1. cap. 16. num. 25.* & Merat. *Part. II. Tit. VI. de Epiſt. & aliis.*

alta-

altare adhibitâ curâ ne decidant, & ut manubriola eorum exterius versa sint ad Celebrantem, in cornu altaris deponit pelvim, nullam tunc exhibens inclinationem, deinde utraque manu urceolos accipit quos pelvi sursum eminentes, sustinet, ne quidquam ex eis in altare defluat.

II. Accedenti Sacerdoti inclinat se mediocriter, eique porrigit urceolum vini, quem prius osculatur, manum autem Sacerdotis deosculatur, (g) mox ampullam aquæ è sinistra, manu dextra accipiens, recipit ampullam vini á Celebrante sinistra, cum quasi osculo illius, (h) eique ministrat dextra ampullam aquæ quam prius deosculatur, eamque retinet demissam aliquantulum: dum Celebrans benedicit aquam, quam statim attollit, & eidem Celebranti porrigit, eamque postea recipit dextera cum quasi osculo illius; cui postmodum sese mediocriter inclinat.

III. Nota quod urceolos per pedem tenere debeat, cum illos tradit & recipit, ut manus ejus in inferiori loco sit quam manus Sacerdotis, ad quem ampullarum manubriola conversa sint, oportet; caveat præsertim ne urceolum aquæ pro urceolo vini porrigat, maximè si album vinum fuerit.

IV. Dum fit Calicis oblatio, Minister relictô urceolô aquæ in pelvi supra altare, urceolum vini reportat ad credentiam, ibique linteolum pro extergendis manibus accipit, quod complicatum portat ad cornu altaris atque tali modo disponit, ut à Sacerdote facilè accipi possit, (i) ut etiam

(g) Rubr. Miss. 4. *de Offert. & aliis usque ad Canon.* & Merat. *Pars. II. Tit. VII. de Offert. & aliis.* Bauldr. *part. 1. cap. 16. num. 25.* (h) Bauldr. *supr.* (i) Gavant. *Part. II. Tit. VII. de Offert. & aliis.* & Bauldr. *part. 1. cap. 17. num. 30.*

quod

quod conformius videtur esse Rubricis Missalis, in manu sinistra sub pelvi manutergium tenet. (l) si nimirum ab altari distaret credentia, manutergium unà cum urceolis afferre posset sicque teneretur ad credentiam denuò reverti. Postea accipit sinistrâ pelvim, dextrâ verò urceolum aquæ per manubrium vel per pedem, factaque Sacerdoti appropinquanti inclinatione urceolum quasi osculans (m) ex eo super digitos Sacerdotis effundit aquam, quoad usque Celebrans vel elevatione digitorum vel aliô quôvis modô dederit ipsi signum desistendi, tum demissô urceolô inclinat se ut ante. Illud etiam diligenter observare debet Minister, ut semper super eandem pelviculæ partem aquam infundat, ne hac illacque discurrens Celebrantis humectet totam manum.

V. Nota quod lotio manuum fieri debeat extra altare ante cornu Epistolæ, Ministro urceolum supra pelvim octo circiter digitis elevatum, ipsam verò pelvim quasi ad altitudinem cinguli Sacerdotis sustentante & sufficienter ab ara dissito, ne quidquam aquæ in ipsam resiliat.

VI. Effusâ totâ aquâ ex pelvi in vas ad hunc finem destinatum, vel si desit in alium locum remotum, non verò super pavimentum, nisi ex necessitate, & tunc spargere debet aquam in diversas pavimenti partes, (n) refert in pelvi urceolos ad credentiam, ubi manutergium, sicut erat ante, componit. Deinde revertitur ad altare in cornu Epistolæ, campanulam manu deferens cavendo

(l) Rubr. Miss. *Tit. XX. de præparat. alt.* & Merat. *Part. II. Tit. VII. de Offert. & aliis.* (m) Merat. *ibidem.* (n) Merat. *Part. II. Tit. VII. de Offert. usque ad Canon.*

no

ne ſonitum edat, poſtquam genua flexit, eam penes ſe collocat.

VII. Si diſtribuenda ſit Communio tempore Sacri quod fit in altari ubi non eſt Tabernaculum, credentiam petit Miniſter dum legitur à Sacerdote Offertorium, totque Hoſtias minores imponit cooperculô pixidis in qua continentur, quod numero ſunt qui ad Sacram Communionem accedere volunt, illas protinus ad Sacerdotem defert ut ſimul cum majori Hoſtia offerantur.

VIII. Non inchoat Orationem *ſuſcipiat* poſt *Orate Fratres* niſi Sacerdote jam totaliter ad altare converſo, & finitis verbîs à Sacerdote *Patrem Omnipotentem*. Quod ſi necdum locum ſuum repetierit tunc Miniſter genuflectere debet in eo loco, in quo reperitur, atque dictam orationem recitare, ſub cujus tempus non ſe inclinat nec *Amen* addit in fine.

IX. Sub initium Præfationis reſpondet prout in Miſſali habetur, inclinatque caput ad DEO *noſtro* poſt *gratias agamus* (o)

X. Ad *Sanctus* pectus non percutit ſed inclinatus mediocriter dextrâ pulſat ter diſtinctè tintinnabulum duobûs ictibûs pro ſingulis ternis vicibus, (p) tum ſiniſtrâ campanulam accipit, tenetque dum dexterâ ſignum Crucis ſuper ſe format, eodem tempore quô Sacerdos ad *Benedictus*.

ARTICULUS XXII.

Ab Initio Canonis uſque poſt Comunionem.

I. Finitô verſiculô *Benedictus &c.* erigit ſeſe miniſter nulla tunc præmiſſa inclinatione, cam-

(o) Bauldr. *part. 1. cap. 16. num 32.* (p) Bauldr. *ibidem.*

panulam ad medium altaris ſupra ſuppedaneum admovet, poſtea bacillum accipit in quo eſt cereolus, eôque, ſumpto lumine ex lampade vel aliunde ex candelabro quod eſt in cornu Epiſtolæ ſi aliter fieri non poteſt, accendit cereum qui eſt in candelabro majori ad cornu Epiſtolæ pro elevationis tempore deſtinatum, (q) nec extinguit eum niſi poſtquam Sacerdos ſanguinem ſumpſerit vel alios communicaverit; (r) cavet interim ne tergum obvertat altari. Si duo ſint pro tempore elevationis deſtinati cerei, qui diebus Feſtis ſoleant accendi, priorem illum accendit in parte Epiſtolæ eſt. Poſtea depoſitô bacillô, ambulans in plano medium altaris petit, ubi debitam exhibet ſalutationem, quâ factâ flectit genua in ſuppedaneo (s) retrò Sacerdotem, declinans aliquantulum ad partem Epiſtolæ, ne illi in genuflexionibus impedimento ſit.

II. Sacerdos accipiens Hoſtiam in manus cum dicit *gratias agens benedixit*, *fregit* Miniſter ad excitandas Fidelium mentes circa venerationem tanti Sacrificii bis pulſat campanulam duobûs ictibûs pro ſingulis vicibus, & cum Celebrans jam jam genuflexurus eſt, ut ſacram Hoſtiam adoret, Miniſter poſteriorem Planetæ fimbriam in medio ſiniſtrâ ſublevat, (t) ſine ullo oſculo ipſius caſulæ, (u) dextrâ verò ter campanulam lentè eo modo quô ſupra pulſat, primò dum genuflectit Sacerdos, deinde dum ſacram Hoſtiam elevat, &

(q) Merat. *Part. II. Tit. VIII. de Canon. Miſs.* & Bauldr. *part. 1. cap. 16. num. 33.* (r) Rubr. Miſs. 6. *de Canon. Miſs.* (s) Caſtald. *lib. 1. ſect. 4. num. 18.* (t) Rubr. Miſs. 6. *de Canon. Miſs.* (u) Gavant. & Merat. *Part. II. Tit. VIII. de Canon. Miſs.*

& denique dum Celebrans eam deponit; unde animadvertat Minister ut tertia vice pulset campanulam in depositione Hostiæ, non in genuflexione immediatè sequenti depositionem: (x) eôdem modô se gerit ad elevationem Hostiæ, sed utriusque elevationis tempore Sanctissimum adorat profundè inclinatus.

III. Nota quod ad elevationem campanula pulsanda non sit quando tunc temporis fit aliqua Processio in Ecclesia, ut decrevit S. R. C. die 1. Martii 2681. (z)

IV. Reposito Calice à Sacerdote super Corporale & ab eodem per genuflexionem iterum adorato, Minister surgit & genuflectit in plano juxta medium altaris deferens secum campanulam, repetitque locum in quo erat tempore *Sanctus*, scilicet à cornu Epistolæ, ibique permanet flexîs genibûs ad Celebrantis usque Communionem. Et [ubi usus obtinuit pulsare campanulam] dum Celebrans Hostiâ signat supra Calicem dicens *Per ipsum & cum ipso*, pulsat ter eô modô ut ad *Sanctus*.

V. Munit se signô Crucis unà cum Sacerdote dicente. *Omni benedictione cælesti* ac deinceps cum Celebrans illud super se patenâ producit. *Ad nobis quoque peccatoribus* semel tantum absque inclinatione, ad *Agnus* DEI, & ad *Domine non sum &c.* cum inclinatione mediocri percutit pectus.

VI. Si pax juxta ea quæ Articulo 10. num. 9. de Missa privata habentur danda sit post *Agnus*

(x) Gavant. & Merat. *supr.* Bauldr. *part. 1. cap. 16. num. 35.* & Castald. *lib. 1. sect. 4. num. 19.* (y) Merat. *ibidem.* Bauldr. & Castald. *supr.* (z) Vide *Indic. Decret.* apud Merati.

Dei

DEI erigit se, statim credentiam petit, unde dextra accipit instrumentum pacis, sinistrâ verò velum aut linteum aliquod, nisi eidem instrumento jam alligatum sit, ascendit ad dextram Sacerdotis ubi manu dextra cum instrumento pacis positâ super altare flectit genua, cumque Celebrans deosculatur altare, offertur ei à Ministro instrumentum pacis deosculandum: deinde Sacerdoti dicenti *Pax tecum* respondet Minister *Et cum Spiritu tuo*, (a) postea surgit, in eodem loco genuflectit ad Sanctissimum Sacramentum, proceditque instrumentum hoc eis oblaturus qui debent osculari, jam verò post quodlibet osculum, velô aut linteô tergit illud, maximè si adsint Prælati vel Principes: aut alii magnæ conditionis viri; dum instrumentum deosculandum tradit dicit singulis *Pax tecum*, inclinando se eis non ante sed post juxta uniuscujusque conditionem, (b) quibûs ita peractîs instrumentum cum velo refert ad credentiam.

VII. Si quibusdam danda sit sacra Communio explicat ante illos linteum album statim atque Sacerdos pretiosum sumpsit Sanguinem, postea genua flectens in eodem suo loco recitat elata voce *Confiteor*, sicut in principio Missæ & *Amen* respondet in fine *Misereatur* & *Indulgentiam*: insuper munit se signô Crucis ad *Indulgentiâm*: terque pectus sibi percutit ad *Domine non sum dignus*.

VIII. Si Clerici sint superpelliceô induti quibus Communio danda est, sique sint plures ad altare gradûs, illos post *Indulgentiam* si opus sit admonet,

(a) Rubr. Miss. 3. *de Orat. Dom. & aliis.* (b) Gavant. *Part. II. Tit. X. de Orat. Dom. & aliis.*

net, ut bini & bini genuflectant in plano, & ascendant postea, atque in supremo gradu genua flectant; tum Communionis mappam ipsis porrigit. Si absque superpelliceis sint, sique Cancelli aræ circumducti desint, efficit ut sistant se in plano juxta gradus; hoc idem præstat erga laicos.

IX. Quando cum aliis ad sacram Communionem Minister ipse accedit, anteit alios nisi sint superioris Ordinis, genuflectitque sicut & cæteri antequam ascendat; si solus accedat surgit statim post *Indulgentiam* & facta super infimo gradu ad medium altaris genuflexione ascendit ad gradum supremum, non omnino in medio sed parum in parte Epistolæ flectit genua. Cum ipsi à Sacerdote sacra Hostia porrigitur, erecto sit oportet capite, ac oculis modestè demissis, admoneatque tantisper ad labium inferius linguæ extremitatem; perceptâ sacratissimâ Eucharistiâ descendit ex gradibus, & facta juxta ordinariam regulam inclinatione vel genuflexione ad credentiam progreditur.

X. Si nemini distribuenda sit Communio erigit se ubi primum Celebrans purificavit patenam, & deferens secum campanulam insalutato altari vadit ad credentiam super qua campanulam deponit, & acceptis urceolis eos defert ad altare in pelvi sicut dictum est ubi de Offertorio, hôc unô exceptô quod eorum manubriola ad se convertisse debuit, ascenditque ad angulum altaris in cornu Epistolæ & super altare deponit pelvim absque ulla salutatione, postea acceptô urceolô vini Sacerdoti appropinquat quantum satis est, ut vinum commodè infundat. Si à Celebrante pretiosus sanguis tunc sumatur, facta genuflexione Mini-

Minister inclinatus profundè versus altare manet donec totus sumptus sit; tum erigit se ac mediocri inclinatione veneratus Sacerdotem vinum in Calicem fund t ex urceolo, quem non circumagit sed fixè tenet, ad trium aut quatuor digitorum altitudinem, quemque semiosculatur ante & post, (c) statim atque Sacerdos elevato parum Calice, dat ei signum desistendi ab infusione, urceolum erigit priusquam illum removeat, tum salutato Sacerdote recipit se ad angulum in cornu Epistolæ ubi retentô in dextra urceolô vini, ampullam aquæ accipit sinistrâ.

XI. Inclinat se mediocriter Celebranti ad digitorum ablutionem accedenti, ac præmissô semiosculô urceoli, lentè infundit ac recta in digitos ad medium Calicis, primò vinum & quidem per parvam sistit urceoli fistulam, quô infusô urceolum pelvi reponit & eadem manu scilicet dextrâ apprehendit ampullam aquæ præmissô pariter semiosculô, aquam in Calicem infundit quomodo vinum, quoadusque Sacerdos det ei signum, sublevando modicum digitos aut Calicem: postea ampullam iterum semiosculatus factaque Celebranti inclinatione mediocri pelvim cum reliquis ad credentiam refert, cunctaque ut erant ante, componit.

ARTICULUS *XXIII.*

A Communione usque ad finem.

I. DEinde ascendit Minister ad cornu Evangelii indeque acceptum Missale transfert

(c) Bauldr. *part. I. cap. 16. unm. 4.*

clau-

clausum, atque pulvillo seu pulpito imponit ut in principio Missæ: illudque aperit ad eum locum ad quem prius erat apertum, nisi folium quod post Communionem & Orationes sequentes à Sacerdote legendas continet, invenire facile queat, accensum pro elevatione cereum extinguit: Mappamque Communionis si adhibita est complicat, quibûs peractîs genua it flexurus ad cornu Evangelii (d) debitam semper exhibens in medio altaris salutationem.

II. Quadragesimali tempore caput inclinat ad hæc verba *humiliate capita vestra* DEO & per sequentem Orationem. (e)

III. Sacerdote populum benedicente, Minister sese mediocriter inclinat, munitque signô Crucis, postea erectus ac in eodem stans loco respondet ad Initium Evangelii, & eadem signa Crucis super se efformat, quæ in priori Evangelio, quibûs præstitîs transfert se ad cornu Epistolæ supra pavimentum statque ibi, ad hæc autem verba *Et Verbum Caro factum est* genuflectit in suo loco facie ad altare conversa, (*f*) & post responsum DEO *gratias* extinctum it primò cereum in cornu Evangelii ardentem, deinde alterum in alio cornu (g) exhibetque transeundo debitam altari salutationem, postea Missale ac Sacerdotis biretum, quam primum fieri potest, accipit.

IV. Quando post Orationes Missale relinquitur à Sacerdote apertum, propterea quod Evangelium Sancti Joannis non est dicendum, sed aliud, erigit se illicò Minister post dictum DEO *gratias*; & accedit ad librum, quô acceptô una cum pulvinari vel pulpito, flectit genua in suppedaneo paululum ad portam Evangelii dum datur benedictio, quâ data surgit, & librum defert ad cornu Evangelii, à quo modicum distans respondet Sacerdoti, postea transit ad partem Epistolæ cæteraque præstat ut supra.

V. Descendit è gradibus per partem Epistolæ sinistrâ tenens Missale, dextrâ verò biretum Sacerdotis, facta postmodum inclinatione vel genuflexione quomodo in accessu biretum porrigit Celebranti cum quasi osculo, quem tribûs passibûs antecedens ducit in sacristiam; eadem pro reditu observans quæ pro adventu.

VI. Ingressus in sacristiam sistit se ante Crucem, quam profunda inclinatione veneratur à sinistris & tantisper à tergo Sacerdotis, quem postea salutat, & Missali in locum suum deposito adjuvat in vestibus sacris exeundis stans ad ejus sinistram; apparatusque eôdem modô componit, quô supradictum est Art. 17. num. 2. ita ut Sacerdos alius qui eos induere voluerit, optimè dispositos inveniat.

VII. Si manus Sacerdos lavare cupiat ad lavatorium velut ante Missam, Minister eum deducit, ac ipsi postea super humeros imponit pallium aut superiorem vestem, si alterutrum ante Sacrum deposuerat, pileum deinde aut galerum reddit ei cum inclinatione, demum complicat ejus strophium & destinato loco reponit.

VIII. Redit iterum ad altare si quid in eo sit ordinan-

(d) Rubr. Miss. I. *de Commun. & Orat.* (e) Bauldr. *part. I. cap. 16. num. 43.* & Merat. *Part. II. Tit. XI. in rubr. Miss. 2. de Comm. & Orat.* (f) Bauldr. part. I. supr. & Merat. *ibidem.* (g) Rubr. Miss. 6. *de Bened. in fine Miss. & Evang.* & Merat. *Part. II. Tit. XII. in rubr. Miss. 6. de Benedic. & Evang.*

ordinandum; vel de hoc ſacriſtianum admonet; depoſitô poſtea, ſi Clericus eſt, ſuperpelliceô, fuſîſque aliquot ad DEUM precibûs abit.

IX. Si contingat Communionem juſta de cauſa poſt Sacrum diſtribui, duos altaris cereos ſi jam accenſi non eſſent, accendit, mappam Communionis coram accedentibus expandit ad cornu Epiſtolæ, genua flectit, cæteraque peragit ut ſupra. Ad benedictionem quæ poſt Communionem à Sacerdote datur, *Amen* reſpondet; poſthac aquam miniſtrat Sacerdoti, ut digitos purificet in pelvi, niſi adſit in altari ſpeciale cum aqua digitis intingendis vaſculum, ſatagit autem ut ablutionis aqua tota in ſacram piſcinam effundatur; extinctîs poſtmodum cereis, tradit Sacerdoti pileum & ad ſacriſtiam redit.

X. Ubi deeſt ſacriſtia vel etiam menſa pro ſacris veſtibus deponendis, teneturque Sacerdos ſe in altari exuere, illos debet Miniſter in cornu Evangelii, non in medio altaris reponere. (h)

ARTICULUS *XXIV*.

Quæ ſint obſervanda quando duo ſunt ad Sacrum Miniſtri.

I. ADornato Sacerdote dignior Miniſter penes quem eſt Miſſale, collocat ſe ad ejus dextram, alter verò ad ſiniſtram, & ambo ita conſtituti primò ſacriſtiæ Crucem, deinde Celebrantem ſalutant, poſtea qui minus dignus eſt, præit manibûs junctîs. *&c.*

(h) Merat. *ſupr.*

II.

II. Si aditus ad altare ſit ex parte Evangelii, ſecundus Miniſter illuc perveniens paululum retrocedit, ut inter ſe & gradus liber ſit Sacerdoti tranſitus, ipſique tranſeunti inclinat ſeſe; hæc autem omnia obſervanda incumbunt primo Miniſtro quando per Epiſtolæ partem acceditur ad altare.

III. Cum pervenit Sacerdos ad gradus altaris primus Miniſter ab eo biretum recipit, alter verò permanet in parte Evangelii.

IV. Inſimul altero alterum non præcurrente reſpondent eôdem vocis tonô quô Sacerdos.

V. Miſſale à cornu Epiſtolæ ad cornu Evangelii transfert primus Miniſter, ſed ibi non moratur ut Celebranti reſpondeat, illud verò ſecundus Miniſter refert ab Evangelii ad Epiſtolæ cornu, neque tunc alterius locum occupat ſicut & iſte ad primum Evangelium repoſitô ſupra altare Miſſalî cum illo locum non mutat.

VI. Vinum & aquam Sacerdoti ad Offertorium porrigere primo competit, ſed relatis ab ea urceolis ad credentiam; illuc eodem tempore advenit & alter, qui pelvim ſiniſtrâ, dextrâ urceolum accipit, unàque cum altero manutergium deferente, aſcendit ſalutato altari ad cornu Epiſtolæ, ubi primus ſtat à dextris ſecundi; cum accedit ad eos Celebrans, ipſum ambo mediocri inclinatione venerantur, ſecundus aquam in ejus digitos effundit uti dictum eſt ſuperius; primus verò manutergii more ſolito complicati extremum unum ſiniſtrâ tenens, alterum ſemideoſculatus dextrâ porrigit & expandit ſuper Sacerdotis manus, illudque à Sacerdote demiſſum accipit iterum manu dextrâ ac ut ante ſemioſculatur, poſtea inclinant ſe ambo ſimul & ad credentiam redeunt, depoſitîs

positîs ibi urceolîs, manutergiô, iîsque compositîs uti priùs loca sua repetunt & genuaflectunt.

VII. Ad *Sanctus* sicut & ad elevationem pulsat primus campanulam.

VIII. Ubi morîs est ut diebûs festîs ex utraque parte cereus pro elevatione accendatur, surgunt ambo sub initium Canonis & salutatô altari, unusquisque cereum in sua parte accendit, quô accensô adjungunt se alter ad alterum infra gradus, & unà in medio inclinant se vel genuflectunt juxta regulam generalem, ascendunt postea ad supremum gradum, ubi flectunt genua retrò Sacerdotem relictô inter se sufficienti spatiô, ut ille suas absque impedimento genuflexiones peragat.

IX. Ad elevationem uterque sublevat ex sua parte casulam, ea observando quæ superius dicta sunt; peracta elevatione sese erigunt ac in faciem vertunt, facta infra genuflexione ad sua se loca recipiunt.

X. Vinum & aquam Sacerdoti post Communionem primus solus ministrat, altero autem qui ad cornu Evangelii est, competit transferre postea librum ad cornu Epistolæ; tum si duo accensi sunt pro elevatione cerei, ab utroque simul extinguuntur, flexîs deinceps genibûs quoad reliqua se gerunt prout habetur superius, neuter verò chartam *Evangelii secundum Joannem* dum à Celebrante legitur, sustentat.

ARTICULUS XXV.

Quæ sint specialia quando quis Missæ ministrat ad altare in quo est expositum Venerabile Sacramentum.

I. Recipit Minister biretum à Sacerdote quamprimum

primum in locum ingreditur ubi expositum est Sanctissimum Sacramentum, cumque pervenit ad gradus, flexîs in plano genibûs, ac devotè inclinato capite illud eodem tempore adorat quô Sacerdos.

II. In tradendis ac recipiendis tum aquæ tum vini urceolis abstinet se quidem ab omni osculo (i) sed non ab inclinationibus Celebranti fieri solitis.

III. Ad *Lavabo* stat ad cornu Epistolæ infra gradus & cum vertit se Sacerdos ad populum tunc ipsi aquam super digitos effundit, præparatô prius & super brachium suum sinistrum non super altare adoptatô linteô manibus extergendis destinato; vel sub pelvi tenens in sinistra manu.

IV. Post Sacrum cereos non extinguit sed acceptô biretô Sacerdotis cum illo sicut ante Missam flectit genua infra gradus, facta adoratione surgit, & ad Sacristiam rediens biretum Sacerdoti tradit eo in loco ubi illum receperat ante.

ARTICULUS XXVI.

Quid speciale sit ministranti in Missis pro Defunctis.

I. Non munit se signô Crucis sub initium Introitûs.

II. Quando à Sacerdote una tantùm dicitur Oratio signum est quod Prosa *Dies iræ* non omittetur, itaque non surgit Minister pro Missali transferendo, nisi sub ejusdem Prosæ finem ad hæc nimirum verba *Oro supplex & acclinis.*

III. Nec urceolos nec alia quæ Sacerdoti præ-

(i) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 23. & Merat. *Part. II. Tit. XIV. de Rit. Miss. privat. coram SS. Sacramen.*

 ber

bet, deosculatur, quamvis eis solitas exhibeat inclinationes.

IV. Nec ad *Agnus Dei* pectus percutit, nec postea Instrumentum pacis tradit ad deosculandum

ARTICULUS XXVII.

De Clero ministrante Sacrum facienti coram Cardinali, aut Metropolitano aut Episcopo Diœcesano aut Principe qui supremus sit vel Regio Sanguine ortus.

I. Accedens ad altare genuflectit Prælato, vel inclinat se profundè Principi, quo tempore Celebrans veneratur illos; hoc idem præstet quoties è regione ipsorum transire contingit, quod tamen quantum fieri potest sedulò vitare debet, maximè si non procul ab altari distent.

II. Semper etiam genuflectit quando pertransit medium altaris, & cum ad illud advenit aut ab eo recedit ne Prælatum majori honore afficiat quam Crucem.

III. In principio Sacri genuaflectit in qua parte non adest Prælatus aut Princeps.

IV. Ad *Confiteor* & *Misereatur* vertit se non ad Prælatum sed consueto more ad Celebrantem.

V. Missalî translatô ad cornu Evangelii stat infra gradus ex eadem parte, dum legitur Evangeliũ, quô perlectô eundem librum accipit & defert ad osculandum Prælato, quem non ante sed post genuflexione veneratur, (l) postea Missale refert ad altare, illôque ad eundem locum apertô, transfert se in partem Epistolæ salutatis salutandis. Si tamen adesset Capellanus superpelliceô indutus, ipsum sineret Minister librum tradere ad deosculationem, ipseque in consueto loco suo staret.

(l) Merat. *Part. II. Tit. XIV. de his quæ adden. coram Episc.*

VI. Si quis ex adstantibus Prælatis dignior sit Diœcesano Præsule ad illum solum defertur Missale, quodsi verò plures adsint dignitate æquales nemini exhibetur, (m) quin tum Celebrans illud non osculatur; quapropter in hocce casu stat Minister in parte Epistolæ dum Evangelium legitur.

VII. Quod autem ad Principem attinet, ubi invaluerit consuetudo, ut ei ad osculationem tradatur Evangeliorum liber, alius ipsi offerendus est ab eo quo utitur Celebrans, qui suum semper in simili casu deosculari debet. (n)

VIII. Si post *Agnus Dei* pax danda sit, recolat ea, quæ superius exarata sunt Art. 22. n. 6.

IX. Finitô Sacrô Prælatum aut Principem veneratur sicut ante, nisi priùs abirent illi, quam Evangelium absolveretur, tunc autem verteret se ut eos transeuntes salutaret.

X. Si Sacro ministret coram Prælatis aut Principibus qui alii sint à supra memoratis, eôdem se gerit modô ac si non adessent, hôc unô exceptô, quòd inclinet se transiens ante illos, quodque, si moris sit, deferat eis Instrumentum pacis ad deosculandum, non verò librum Evangeliorum, qui solum iis deferendus est, quos supra indicavimus; idem esto judicium de fæmina Principe spectatissima.

(m) Cærem. Episc. *lib. I, cap. 30.* (n) Bauldr. *part. I. cap. 17. num. 5.* & Gavant. ac Merat. *Part. II. Tit. VI. de Epist. usque ad Offert.*

 ARTI-

ARTICULUS XXVIII.

De Eleemosinario seu Capellano qui ministrat Episcopo Missam privatam Celebranti, sive in sua Diœcesi, sive alibi.

I. EPiscopo Sacrum facienti adesse debent Sacerdotes duo, aut unus saltem qui superpelliceô indutus sit.

II. Ornatum debet esse altare antequam ad illud accedat Episcopus, & in medio apparatus sacri, videlicet casula, stola, Crux pectoralis [nisi eam præseferat Pontifex] cingulus, alba & amictus, (o) qui sint coloris competentis officio diei, concinnè adaptati, & cooperti velô aliquô ejusdem coloris.

III. Si super altari in quo celebraturus est Episcopus, expositum foret Sanctissimum Sacramentum disponenda esset mensa quædam aut credentia in parte Evangelii ad hæc apponenda ornamenta, quæ Pontifex indueret non penes medium altaris, sed aliquantulum ad partem, nisi eos quod esset congruentius, mallet in sacristia induere; in hocce verò casu deferetur ad altare manipulus.

IV. Manipulus semper in cornu Evangelii supra altare collocandus est, & quidem ab aliis paramentis separatus, sicut & annulus ne amittatur, nisi digito dextræ manûs Episcopi jam insertu sit.

V. In Missis verò pro Defunctis apponendus est unà cum aliis apparamentis manipulus quem tunc Episcopus ante Crucem pectoralem induit.

VI. Disponenda quoque est in parte Epistolæ

(o) Cærem. Episc. *lib. I. cap. 29.*

mensa

mensa minor seu credentia quæ mappâ albâ veletur absque Cruce & candelabris, in hac ergo mensa collocatur Calix instructus purificatoriô, patenâ cum duabus si moris est Hostiis, pallâ & velô, cui Corporalium bursa superponitur; præterea repleti aquâ & vinô urceoli in minori pelvi absque manutergio, & major alia pelvis cum vase aquatili aquam tunc continente, nec non mantilia tria extergendis Episcopi manibus ad ternam earum lotionem, aut saltem mantile majus quod tria suppleat ibidem collocentur.

VII. In ea apponenda insuper est bugia, si eâ utatur Episcopus, deinde tintinnabulum vel etiam Missale cum pulvillo suo aut pulpito si capax sit locus, sinsecus in cornu Epistolæ deponatur. Quæ verò sunt in credentia velô aliquô dummodo paramentorom colorem referat ea tegi nil vetat. Decet ut altaris suppedaneum tapete tegatur, & in infimo gradu substernatur pulvinus.

VIII. Cum Episcopus jam Rochettô & Mozzettâ, quæ domi vel in Sacristia induisse debuit, ornatus in locum pervenit, ubi celebraturus est, flexîs genibûs super pulvinum ante gradus altaris orat aliquandiu, ejus interim Capellanus & alii Ministri genua pariter flectunt à lateribus in plano, sique Pontifex præparatorias ad Missam orationes legere cupiat, ex illis alius Missale ante ipsum tenet, alius verò bugiam cum ardenti cereo, quando illa uti solet, fusîs precibûs surgit Pontifex, tegitque caput, nisi expositum sit Sanctissimum Sacramentum, interea curam hābet Capellanus, ut Missale ac bugia in cornu Epistolæ deponantur, moxque tollit ex eo ordinariam Crucem & Mozettam, amotô postmodum per ali-

H 4 quem

quem domesticum pulvinô, manus lavat Pontifex, tum scutifer nobilis aut alius ex domesticis pelvim cum aquatili sustentat, Capellanus verò mantile, (p) quod post manuum abstersionem super aquatili reponit, unde illud receperat: quodsi præter Eleemosinarium duo adsint ministrantes Clerici, ad eos spectat Episcopo ad manuum lotionem ministrare, flectentibûs interim aliîs omnibûs Episcopi Ministrîs.

IX. Lotione manuum peracta conscendit ad altare Capellanus ubi ad Crucem genuflectit etiamsi præsens non sit Sanctissimum Sacramentum, quam genuflexionem durante Sacro toties præstat quoties vel ad altare accedit vel ab illo recedit vel medium ejus pertransit ob rationem superius allatam Art. 27. n. 2. apparamenta detegit, & singula ambabûs manibûs successivè defert ad Episcopum, quem totidem vicibus ante & post semigenuflexione veneratur, illa quæ satagit ut ei pulchrè adaptentur.

X. Congruum esset ut Episcopus ipse quando sibi amictus exhibetur biretum suum deponeret, traderetque Capellano vel alteri domestico, nec non ut detecto capite permaneret dum Sacris induitur, quia singulis proprias orationes tunc recitat, [q] si tamen detecto capite soleat ornari curam habet Capellanus ut ei per Acolythum si adsit, aut alium ex domesticis biretum imponatur post quamlibet ornatûs receptionem.

XI. Paramentîs omnibûs induto Pontifici annulus, nisi jam habeat, porrigitur à Capellano de-

(p) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 29.* (q) Bauldr. *part. 5. num. 4.*

osculan-

osculante illum primò, deinde manum Episcopi, postea receptô manipulô ex altari genua flectit Capellanus ad latus ejus sinistrum & aliquantulum à tergo, eique respondet.

XII. Quoties Episcopus genuflectit, toties brachio ejus manum suam submittit Capellanus ut eum ad surgendum juvet.

XIII. Ad *Indulgentiam* erigit se Capellanus ille penes quem manipulus, hunc deosculatus Pontifici offert ad Crucem deosculandum atque post *Indulgentiam* brachio imponit, manum simul osculando, illumque ita alligat ut nequeat excidere.

XIV. Finitîs ab Episcopo precibûs quæ infra gradus altaris recitari solent, erigit se Capellanus & cum illo ascendit ad altare, albam ejus cum talari veste antrorsum sublevando, cumque altare osculatur Pontifex, retro post ipsum genuflectit Capellanus.

XV. Transferente se Episcopo ad cornu Epistolæ ut Introitum legat, illuc se transfert, & Capellanus qui locat se penes Missale sed si commodè potest extra suppedaneum, indicaturus deinceps manu dextra ea quæ dicenda incumbunt Pontifici, folia quoque quando opus est vertit, siquè bugiâ uti velit Episcopus, illam cum cereo accenso vel ipse Capellanus tenet, vel curat ut id præstet primus si adfuerit Acolythus; sin autem illud super altare collocat penes librum quando tempore Sacri commodè præ manibus habere non potest.

XVI. Post Epistolam eunte Episcopo ad medium altaris *Munda cor meum* dicendi causâ, Capellanus librum accipit cum pulvillo aut pulpito, defertque ad cornu Evangelii, ubi eum apertum

depo-

deponit, ac deinceps bugiam tenet si eâ utatur Episcopus ad ejus finistram (r)

XVII. Finitô Evangeliô Capellanus utraque manu attollit Missale ut illud ad initium textûs Evangelii Episcopus osculetur, quod postea ponit cum pulvillo aut pulpito penes corporale.

XVIII. Admotô librô post Evangelium è vestigio Capellanus quando *Credo* dicendum non est; quodsi dicatur nonnisi dicatur post hæc verba *Et homo factus* credentiam petit, ubi Calicem suô velô bursâ superpositâ, coopertum accipit & ad altare defert, ponitque super cornu Epistolæ, non omissa genuflexione tam in recessu quàm in accessu, postea extrahit Corporale, in medio altaris illud explicat & bursam ad partem Evangelii collocat, ita ut è loco suo non amoveatur Episcopus; quando longum est Evangelium & *Credo* omitti debet, hæc omnino præstare potest tempore Evangelii ne ad Offertorium Episcopum remoretur.

XIX. Denudat Calicem auferendo primò velum quod solito more complicat, deinde pallam, quâ sublatâ accipit cum Hostia patenam quam tradit Episcopo, exosculans limbum patenæ & Pontificis manum quemadmodum in Missa solemni Diaconus: si duæ fuerint supra patenam Hostiæ, quam amovendam indicaverit Pontifex, hanc amovet.

XX. Purificatoriô Calicem tergit & acceptô vini urceolô ex manibus Acolythi si adfuerit aut alicujus è familiaribus Episcopi vinum infundit in Calicem, quô infusô accipit ampullam aquæ & illam benedicendam Episcopo exhibet dicens ei

(r) Castald. *lib.* 2. *sect.* 8. *cap.* 9. *n.* 7.

modi-

modicum inclinatus *Benedicite Pater Reverendissime*: facta per Episcopum benedictione, guttas aliquot in Calicem mittit, posthac ampullâ ei redditâ à quo receperat eam, tradit Episcopo Calicem, quem primò ad pedem deosculatur, deinde Prælati manum.

XXI. Manus lavat Episcopus in parte Epistolæ quemadmodum superiùs habetur *n. 5tò*: annulum si opus fuerit, de digito ejus detrahit Capellanus, & inserit post lotionem cum debitis salutationibus, postea transfert se ad partem Evangelii ut Missalis vertat folia, stat interea facie nonnihil ad Episcopum conversa & remotior ab altari quam ipse.

XXII. Circa Præfationis finem satagit ut Clerici duo adsint, sin viri duo ex familiaribus Episcopi eant ad afferendas faces è sacristia, aut alio ex loco. & cum illis genua flectant, in utraque parte altaris ante gradus facta prius ab ipsis genuflexione in medio; (s) isti autem Ceroferarii seu faciferi flexîs ibi genibùs permanent donec peracta sit elevatio Calicis, tum erigunt se & facta sicut ante genuflexione altari, sacristiam repetunt ubi faces suas extinguunt; sed si Communionem populo distributurus esset Episcopus, permanerent ita donec sacra Pixis reconderetur in tabernaculo.

XXIII. Hostiam accipiente Episcopo ut eam consecret, genuaflectit Capellanus ad ejus sinistram potius quàm ad dextram, tam propter librum quàm ob manipulum cui manum admovere debet dum fit elevatio Calicis; discooperit

(s) Cærem. Episc. *lib. I. cap.* 25.

Cali-

Calicem, & eum pallâ tegit, quando opus eſt, ſurgitqué peracta Calicis elevatione.

XXIV. Circa finem Orationis Dominicæ transfert ſe ad dextram Epiſcopi ut ipſi patenam porrigat, quam prius oſculatur, poſtea manum Pontificis, ſtatque in eodem loco ad finem uſque *Agnus* Dei, quô dictô redit ad ſiniſtram.

XXV. Ad Communionem Epiſcopi, tranſit ad partem Epiſtolæ & pallam quando tempus deponit è Calice, miniſtratque Pontifici vinum & aquam pro purificatione & ablutione: poſtea recedit & Epiſcopi manuum lotionem fieri curat ut ſupra. (t)

XXVI. Statim atque lavit Epiſcopus manus accipit Capellanus librum cum pulvillo vel pulpito & illum ad cornu Epiſtolæ transfert, atque indicatâ, quæ Communio appellatur, Antiphonâ redit ad partem Evangelii, tergit primùm, deinde tegit Calicem purificatoriô, cui patenam pallamque ſuperponit; poſtea Corporale complicat & in burſam immittit, Calicem velô cooperit & ad credentiam refert, facta tranſeundo debita altari ſalutatione.

XXVII. Si aliud ab Evangelio Sancti Joannis legendum ſit, Capellanus accepto Miſſali ad cornu Evangelii transferendo flectit in ſuppedaneo benedictionis recipiendæ causâ.

XXVIII. Poſt Evangelium reduce ad medium altaris Epiſcopo, & ibi ſeſe inclinante inclinat ſe quoque Capellanus & cum illo deſcendit in planum ante gradus, ubi eum ſacris exuit veſtibus quas ſingulatim ſuper altare deponit, toties ſalu-

(t) Cærem. Epiſc. *ſup.*

cando

tando Epiſcopum, quoties ad eum accedit aut recedit ab eo, ſimiliter & altare, deinde porrigit Epiſcopo Mozettam, ordinariam Crucem ſi eam depoſuerat & biretum, ac tandem dum flexîs in pulvino genibûs gratiarum actionem legit Epiſcopus, coram ipſo Capellanus Miſſale tenet apertum, nec non cerarium ſi eo opus ſit, vel iſta per aliquem ſi adſit Acolythum ſupplet, curam quoque habet, ut vel per ſe vel alium ad ſacriſtiam deferantur apparamenta.

XXIX. Si ſacra Communio ab Epiſcopo adminiſtranda ſit quando in altari eſt tabernaculum, Capellanus poſt dictum à ſe vel ab alio *Confiteor*, tabernaculum tantummodo aperit, poſtea aſſiſtit Epiſcopo, per totum diſtributionis tempus, tenetque interim dexterâ patenam, ſiniſtrâ verò albam, & Epiſcopi veſtem ſublevat, clauditque poſtea tabernaculum.

XXX. Si duo adſint Capellani ſeſe mutuò juvant & antiquior locum ordinariè occupat ad dexteram Epiſcopi in cornu Epiſtolæ.

ARTICULUS XXIX.

De Clericis duobus miniſtrantibus Celebranti Epiſcopo tum intra tum extra ſuam Diœceſim.

I. PRæter dicta ſuperius hoc ipſis ſpeciale eſt, quod Capellanum juvare debeant in apparamentis ſi neceſſe fuerit ex ſccriſtia ad altare transferendis, & in diſponenda ad partem Epiſtolæ

læ

læ ſatis magna credentia, quæ id omne quod neceſſarium eſt capere poſſit. (u)

II. Credentia hæc velari debet undique mappâ albâ abſque Cruce & candelabris in medio ejus Calix debet eſſe totus adornatus, in parte dextra verſus altare apponendi ſunt cum pelvi urceoli abſque manutergio, in altera verò parte collocanda eſt pelvis major cum aquatili aquâ pleno, cui ſuperponendum mantile magnum & complicatum ad extergendas Epiſcopi manus, vel etiam in illius locum minora mantilia tria, ſit ibi inſuper tintinnabulum; ſi Eleemoſinario videbitur, apponi poteſt & Miſſale cum pulvillo aut pulpito, dummodo capax ſit locus, denique bugia albô cereô inſtructa: quæ omnia velô aliquô ejusdem cum ornamentis coloris tegenda ſunt.

III. Tapetem extendunt ſupra ſuppedaneum altaris, violaceum pulvinum in infimo gradu collocant, & ſacriſtianum præmonent ut funalia duo pro elevatione habeat in paratis.

IV. Tranſeuntes ante Crucem altaris in quo celebrat Epiſcopus, genuflectunt etiamſi Sanctiſſimum Sacramentum non adfuerit, Pontificem quoque genuflexione venerantur, quoties accedunt ad ipſum aut ab eo recedunt vel tranſeunt è regione.

V. Paratîs omnibûs convertunt ſe ad Epiſcopum cum appropinquat altari & eum ſalutant uti dictum eſt, poſtea dignior Clericus offert ſe Eleemoſinario ad ſuſtentandum Miſſale ſi opus fuerit interea dum Epiſcopus Miſſæ præparationem legit, quod præſtat hic Miniſter genibûs flexîs ante

(u) Cærem. Epiſc. *ſup.* & Gaſtald. *lib.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 9. *num.* 3.

Præla-

Prælatum, aliquantulum tamen ad ejus ſiniſtram, Miſſale apertum fronte ſua ſuffulciens, alter interim Clericus altáris cereos accendit quatuor quidem in feſtis ſolemnibus, duos verò in aliis minùs ſolemnibus feſtis & feriis; (x) niſi conſuetudo ſit quibusdam in locis ut quatuor ſemper accendantur.

VI. Perlecta ab Epiſcopo præparatione erigit ſe dignior Clericus & ad illum genuflectit, deinde depoſitô ſupra credentiam vel altare Miſſalî, accipit è veſtigio mantile manibus tergendis, dum alter aquarium cum pelvi apprehendit, ambo genua flectunt ut Epiſcopo ad manuum lotionem miniſtrent: ſecundus Miniſter aquam lentè in manus Pontificis effundit ex aquatili quod dextrâ tenet ad tres aut quatuor digitos deſuper elatum, pelvimque ſubjicit, primus verò manet interim ad dextram ſecundi, tenetque ſiniſtra manu extremum unum mantilis complicati, & dextrâ extremum aliud quod exoſculatus expandit in manus Epiſcopi, poſtea mantile iterum oſculatnr ut ante.

VII. Facta manuum lotione ſurgunt ambo & Epiſcopo genuflectunt, primus poſtea ornamenta ex altari protinus accipit, & ea vel Capellano porrigit, vel Epiſcopo comptè adaptat, poſtquam Capellanus illa impoſuit ei: jam verò ſtans alter à latere Pontificis deponit ex ejus capite biretum, quotiescunque ipſi ornamentum aliquod imponitur, ſi tunc capite tecto Epiſcopus ſoleat eſſe, poſt ornamenti impoſitionem biretum ſtatim capiti reponit, & ita cautè ut pileolum non invertat.

XIII. Notandum venit quod cum aliis orna-

(x) Cærem. Epiſc. *ſup.*

mentis

mentis non traditur manipulus, & quod poſt cingulum miniſtranda ſit crux pectoralis, deinde ſtola quæ ante pectus ejus in formam crucis componi non debet: in Miſſis de Requiem manipulus cum cæteris apparamentis ponitur (y) & prius porrigitur Epiſcopo quàm Crux pectoralis.

IX. Ab initio Sacri ad Offertorium uſque nihil eſt Clericis ſpecialiter obſervandum.

X. Poſt Offertorium miniſtrant Epiſcopo ad lotionem manuum cum aquatili & pelvi majori ſicuti ante Miſſam

XI. Poſt *Sanctus* unà genuflectunt in medio altaris euntque non ad accedendos cereos pro elevatione accendi ſolitos, ſed ad accipienda duo funalia: primus dextrâ ſuum defert & alter ſiniſtrâ infra gradus ad medium altaris ambo redeuntes genuflectunt, poſtea uterque angulum ſuum petit & in plano genua flectit ex oppoſito cornu altaris (z)

XII. Poſt Calicis elevationem ſi diſtribuenda non ſit ſacra Communio ſurgunt ambo, & funalia ſua referunt, cumque reverſi ſunt facta iterum genuflexione in medio altaris, flectunt in locis ſuis ordinariis, atque tertio & ultimo poſt ablutionem, miniſtrant Epiſcopo ad manus lavandas eôdem modô quô priùs.

XIII. Finitô Sacrô Capellanum adjuvant in exuendo Epiſcopo, ornamenta ad altare deferentes, deinde ſubjicit alter pulvinum ante ſuppedaneum ſique velit Epiſcopus gratiarum actionem in Miſſali perlegere, liber ab alterutro ſuſtentatur aper-

(y) Bauldr. *part.* 5. *cap.* 29. *num.* 4. (z) Cærem. Epiſc. *lib.* I. *cap.* 29.

tus

tus coram Prælato, quemadmodum factum eſt ante Miſſam, alter verò apparamenta omnia ad ſacriſtiam transfert & argenteam ſuppellectilem, ſi fuerit, æditu tradit, quibûs peractis ſi brevi ex Eccleſia egreſſurus ſit Epiſcopus expectant ambo donec ſuas ipſe preces abſolverit, ut eum ad locum ubi Supparum linteum ſeu Rochettum induit, deducant, tum ſalutant ipſum, ſuaque deponunt ſuperpellicea.

MANVALE
CÆREMONIARUM ROMANARUM
PARS SECUNDA
De Missa Solemni.

I. QUoniam in Missali Romano duplex tantùm commemoratur Missarum solemnium genus, quarum altera de qua tit. 2. n. 5. eaque solemnior cum omnibus Ministris sacris; & non sacris altera verò de qua tit. 6. num. 8. cum uno duntaxat vel duobus Acolythis celebratur. Operæ pretium est discrimen illud in Missarum, quæ cantantur, celebratione sedulo servare, adeo ut si Ministri omnes ad Sacrum solemne requisiti haberi non possint, illud oporteat potius cum uno vel altero duntaxat Acolytho decantare, quàm cum aliqua tantùm parte cæterorum Ministrorum: Si tantùm Cæremoniarius deesset, vices ejus possent à Thuriferario suppleri.

II. Quando absque sacris Ministris cantatur Missa præscribit Rubrica Missalis ut Acolythus vel Clericus aliquis solô idutus superpelliceô Epistolam in consueto loco cantet, qui postea manum Celebrantis non osculatur, atque ut Sacerdos ipse canat Evangelium in quo loco legi solet; cantet etiam *Ite Missâ est* vel *Benedicamus Domino* (a) & insuper tempore Quadragesimæ *Humiliate capita vestra Deo*, sed hæc ultima verba sicut & *Benedicamus Domino* canit facie ad altare conversa.

(a) Rubr. Miss. 6. *de Epist. num.* 4.

III. Quæ pro Missa solemni præparare debet sacristianus; notata reperientur in prima parte secundi Tomi Art. 2.

ARTICULUS I.
De Præparatione Celebrantis & Ministrorum ejus.

I. INstante hora datôque signô pro convocandis Ministris, sacristiam petunt ipsi, ubi post brevem Orationem, nisi eam prius in Ecclesia absolverint manus lavant, & destinata sibi induunt apparamenta. Cæremoniarius, Thuriferarius & Acolythi vestiunt se superpelliceis, & Diaconum Subdiaconumque juvant in indumentis eorum corpori circumponendis. Dum induuntur Ministri sacri, expedit ut ab eis Orationes pro quolibet ornatu assignatæ in Missali recitentur, & ut amictum stolam osculentur & manipulum, quem nonnisi Sacerdote jam penitus ornato accipiunt (b)

II. Facta præparatione lotisque manibûs Sacerdos celebraturus accedit ad ornamenta, à Diacono & Subdiacono primum mediocri inclinatione salutatur, tum adjuvatur in sumendis Sacerdotalibus indumentis, ipsôque jam omnibûs indutô, suos illi manipulos induunt.

III. Interea dum se sacris ornant Ministri, datur ultimus campanæ pulsus; quô auditô Clerus

(b) Cærem Episc. *lib. cap. IX. & X.* Bauldr. *part. I. cap.* 12. Cappas *art.* 1. *num.* 3. & Merat. *Part. II. Tit. II. de ingress. Sacerd. ad alt.*

quàmprimùm ad sacristiam si spatiosa satisfuerit, sin secùs ad consuetum locum properat, ubi induit quisque superpelliceum; & superpelliceo Cappas superinduunt qui ad id designati sunt, & quos deinceps Capparios vocabimus, Thuriferarius interim thuribulum suum parat, & Acolythi, indutîs sacrîs Ministrîs, altaris cereos eunt accensuri.

IV. Si Clerus & sacri Ministri in chorum separatim ingressuri sint quemadmodum fit in Festis minoris solemnitatis prout infra fusius dicetur parte 4ta art. 1. superior aut ejus vices gerens dat signum eundi, tum Clerus ad chorum gressus dirigit, facta priùs profunda inclinatione ad Crucem sacristiæ, incedunt bini & bini præceduntque minus digni (c) juxta magis receptam locorum consuetudinem; in chorum autem ingressi, altari genuflectunt aut profundè se inclinant, deinde se se mutuò inclinatione mediocri salutant tum, cum alter ab altero separatur, ut hic istam ille aliam chori partem petat, sed eos non salutant qui præcesserunt: Postquam superior aut ejus vices gerens ad suum pervenit locum, omnes flectunt genua & aliquamdiu orant, mox datô signô sedent & caput unusquisque tegit. Paulò post accedunt Capparii, qui sicut & alii Crucem sacristiæ priùs venerati incedunt junctîs manibûs bini & bini, præeuntibus minus dignis, caput aperiunt statim ac ad conspectum Cleri pervenerunt, tum surgit Clerus, statque dum illi eunt ad faciendam prope altare genuflexionem, aut tantummodo inclinationem profundam, si Sanctissimum Sacramentum non adfuerit, uti etiam ab ipsis Cano-

(c) Castald. *lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 2: *num.* 1.

nicis

nicis observatur: postea orant flexis genibûs in infimo gradu, finita Oratione sua surgunt Capparii factaque iterum salutatione aut genuflexione si adsit SS. Sacramentum, vertunt se ad Clerum, quem intrando chorum salutant, inclinantes se mediocriter ad utramque partem, hoc est ad partem primo Epistolæ, deinde ad aliam eos vicissim resalutat Clerus, quâ peractâ mutua salutatione sedes suas petunt illi, ad quas cum pervenerunt, omnes, qui in choro sunt sedent; & simul cum illis capita tegunt, donec adveniant altaris Ministri.

V. Postquam indutus est Celebrans imponit paulò ante exitum in thuribulum incensum ministrante Diacono, qui manu sinistra naviculam tenet, dextrâ verò porrigit cochlear, cujus manubrium prius osculatur, deinde manum Celebrantis (d) ad quem hæc verba facit. *Benedicite Pater Reverende.* Celebrans autem ter accipit incensum dicens 1. *Ab illo benedicaris* 2. *in cujus honore.* 3. *cremaberis Amen.* deinde Diacono tradit cochlear quod hic recipiendo deosculatur, postquam manum Sacerdotis deosculatus est, (e) reddito cochleari Celebrans signum Crucis nihil dicendo producit, manu sinistra per totum illud tempus pectori admotâ; postea receptô biretô quod ipsi porrigit Diaconus cum consuetis osculis collocatus inter suos Ministros, ita ut à dextris ejus stent Diaconus, Thuriferarius & dignior Acolythus, à sinistris verò Subdiaconus Cæremoniarius & Acolythus secundus, singuli aperto capite & in linea recta ordinati ante sacristiæ Crucem, quam simul omnes profunda venerantur inclinatione; postea

(d) Rubr. Miss. 4. *num.* 4. *de Rit. celeb.* (e) Cærem. Episc. *lib.* I. *cap.* XXIII.

 vertunt

vertunt ſe Miniſtri ad Celebrantem, cui ſe mediocriter inclinant, ipſe viciſſim ſalutat eos capite in hanc & illam partem inclinato: ſi anguſtior eſſet ſacriſtia, Crucem ſalutarent Thuriferarius & Acolythi à tergo Celebrantis ſacrorumque Miniſtrorum, & ad illos ſeſe poſtea converteret penitus Celebrans ut ſalutaretur & reſalutaret.

VI. Notandum 1. Quòd Miniſtri cum rem aliquam Celebranti ſacrîs jam ornato porrigunt rem primùm deinde manum ejus deoſculari debeant; ècontra cum aliquid ab eo recipiunt primo manum, poſtea rem traditam (f) Excipiuntur ab hac regula Miſſæ pro Defunctis, cuncta enim in illis oſcula prætermittuntur, nec non Miſſæ quæ coram expoſito Sanctiſſimo Sacramento celebrantur; maximè quo ad thurificationem & nonnullos caſus alios inferius ſuis in locis annotatos. Obtinuit etiam uſus, ut bireto cum præbetur Celebranti aut ab eo recipitur ſemi duntaxat oſculum detur ſeu fingatur ejus exoſculatio. (g) Jam verò Miniſtri cum ſibi aliquid invicem tradunt ab omni ſe oſculo abſtinent.

VII. Adverte 2. Quod Acolythi portare debeant ſua candelabra recta & æqualiter elevata, qui ad dextram eſt ſuum tenet dextrâ per nodum & ſiniſtrâ per pedem, è contrario qui ſiniſtram occupat lævâ tenet nodum candelabri ſui, & dextrâ pedem (h) ſi vertentes ſe, laterum ſuorum oppoſitionem mutaverint, ſimul quoque mutare de-

(f) Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. XVIII.* & Bauldr. *part. I. cap. II. num. 5.* (g) Merat. *Part. II. Tit. II. de ingreſs. Sacerd. ad alt. & VIII.* Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 4. num. 9.* (h) Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. XI.* & Bauldr. *part. I. cap. 13. art. 1. num. 1.*

bent

bent & manuum poſitionem, ita ut manus illa, quæ extra eſt, nodo admota ſit, & quæ intra pedi; hæc autem infima pars candelabri elevata ſit oportet ad cinguli altitudinem. Similiter quando faces deferunt, qui à dextris eſt dextrâ, ſuam tenet, qui verò à ſiniſtris ſiniſtrâ, ſed uterque alteram quæ libera eſt manum pectori admovet.

VIII. Adverte 3. Quod Thuriferarius proceſſionaliter incedens thuribulum ſuum deferat manu dextrâ inſerto pollice in annulum majorem, & auriculari digito in minorem, quô operculi catenulam, ut melius conſervetur ignis parumper attollit; ſiniſtrâ verò manu naviculam defert tenens pedem, (i) clauſa autem ſit navicula oportet apertura ejus ad pectus conversa; (l) utramque ſic manum æqualiter attollet ad pectoris altitudinem, ita tamen ut veſtimenta ejus non pertingat thuribulum, at verò accedens ad Celebrantem pro benedictione incenſi ſive in ſacriſtia ſive ad altare, ſuſtinet manu ſiniſtra thuribulum, & dextrâ naviculam ſemi apertam, quam ſemper iſta manu Diacono aut Presbytero Aſſiſtenti porrigit; poſthac inclinat ſe mediocriter Celebranti manu dextra interim ſuper pectus repoſita, quâ deinde thuribuli cooperculum attollit, trahendo annulum catenulæ quæ huic annexa eſt, eademque manu comprehensîs omnibûs catenulîs circa medium earum inter operculum & thuribulum æqualiter elevatum ad altitudinem naviculæ, ipſum thuri-

(i) *lib. I. cap. XI.* & Gavant *Part II. Tit. II. de ingreſs. Sacerd. parat.* (l) Bauldr. *part. I. cap. 14. art. 1. num. 2.*

bulum

bulum ita elevatum tenet; (m) ſtans capite inclinato admotâque pectori manu ſiniſtrâ donec Celebrans incenſum impoſuerit, & ſi opus eſt benedixerit, tunc primùm & non ante demittit thuribuli cooperculum, inclinat ſe ut antea Celebranti, recipit ſiniſtra manu naviculam à Diacono, cui dextrâ ſolà thuribulum tradit ſi tunc thuriſicandum ſit; ſin autem, dextra manu naviculam recipit, retentô thuribulô, factaque in eodem loco genuflexione uti feciſſe debuit adveniendo ſi ſit ad altare, recedit & parat ſe ad inceſſum accipiendo ſiniſtrâ naviculam, & dextrâ thuribulum uti dictum eſt ſuperius.

IX. Advert. 4. Quod Presbyter Aſſiſtens quando adeſt induit primo ſuperpelliceum, deinde Miſſam prævidet ac libri ſignaculîs notat, poſtea Celebranti jam ornato, indutus ipſe pluviali ad incenſum thuribulo imponendum miniſtrat cochlear (n) ſtante tunc Diacono ad latus ſiniſtrum Celebrantis, ac demum debitas rëverentias exhibet Cruci atque Celebranti poſtquam ei cum conſuetis oſculis biretum porrexit.

ARTICULUS II.

De exitu è ſacriſtia & acceſſu ad altare.

I. OMnibus præit Thuriferarius ſolus thuribulum manu dextrâ deferens & ſiniſtrâ naviculam clauſam, hunc ſequuntur qui ſua candelabra ferunt ambo Acolythi, poſt iſtos incedit Cæ-

(m) Bauldr. *ibidem* & Gavant ac Merat. *Part. Tit. IV. de Introit.* (n) Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. VII.*

remonia-

remoniarius abſque bireto ac manibus junctis, (o) deinde Subdiaconus antecedit Diaconum quem ſubſequitur Sacerdos, tres tantùm poſteriores tecto capite ac junctis manibûs, ſed omnes gravi ac modeſto paſſu oculisque demiſsîs progrediuntur. (p)

II. Si retrò altare ſita ſit ſacriſtia, ſintque ex utraque parte fores, Celebrans & Miniſtri omnes per eam portam exeunt, quæ in parte eſt Evangelii, & per oppoſitam redeunt (q) etiamſi Clerus per utramque debeat è ſacriſtia exire & ad eam reverti.

III. Si prætergrediantur altare in quo vel Sacrum à Conſecratione ad Communionem uſque fiat, vel Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum habeatur, flectunt unicum genu; eundemque genuflectendo ſervant ordinem, quem incedendo ſervabant, excepto Celebrante, qui genuflectit medius inter Diaconum à dextris ejus, & Subdiaconum à ſiniſtris. Quodſi tunc fiat Sanctiſſimi Sacramenti elevatio, permanent genibûs flexîs quoàdusque Calix in altari ſit repoſitus, tum erigunt ſe, & iterum genuflectunt, & capita ſua illicò tegunt, niſi Sanctiſſimum Sacramentum in Monſtrantia ſeu Oſtenſorio ſit expoſitum, in hoc enim caſu capita prius non tegunt, quàm è loco exierint in quo facta eſt expoſitio. Si tranſeant ante altare majus genuflectunt Cruci omnes præter Celebrantem, qui ſe tantummodo inclinat profundè, at ſi adſit in tabernaculo recluſum San-

(o) Gavan. Merat. *Part. II. Tit. II. de ingreſs. Sacerd. ad alt.* Bauldr. *part, 3. cap. 2. art. 4. num. 3.* (p) Rubr. Miſs. 5. *de ingreſs. Sacerd. ad alt.* Gavant & Merat. *ſupr.* (q) Bauldr. *ſupr. num. 2.* Merat. *ſupr.*

ctiſſimum

ctissimum Sacramentum, semper illud Celebrans genuflexione veneratur. Ad cætera altaria nec Cruci nec cuivis Imagini inclinationem ullam exhibent: (r) sed inclinant se Majori Ecclesiæ Crucifixo, qui ex devotione juxta nonnullorum locorum morem in quibusdam sacellis asservatur, inclinant se pariter insignibus Reliquiis Sanctorum de quibus eo die fit Officium, si solemni cum apparatu expositæ sint prout fusius habetur Art. 2. num. 5. de Missa privata. Quod verò attinet ad personas consideratione dignas, quas obvias habere possunt: Vide quæ dicta sunt citato Art.num. 8. & quæ dicentur inferius Art. 13.

IV. Si ante vel intra Chorum transituri sint statim atque Thuriferarius & Acolythi conspiciuntur in ejus ingressu, surgit detecto capite Clerus, quem illi producta in partem Epistolæ primum deinde in aliam inclinatione medicori salutant, resalutanturque tantummodo ab ejusdem Ordinis Clericis, postea recipiunt se prædicti Ministri ad utrumque altaris angulum, nulla tunc exhibitá altari reverentiá, stantque versa facie ad se invicem, Thuriferarió interea collocató ad dignioris Acolythi sinistram: mediocri pariter inclinatione Chorum salutant Celebrans & sacri Ministri cum Cæremoniario, quos Clerus totus simili inclinatione resalutat (s) deinde ad medium altaris detecto capite procedunt eodem ordine si propè est, alius verò post alium si distet altare; ad quod cum pervenerint, iis adjungunt se inferiores Ministri, quemadmodnm in sacristia prius

(r) Merat. *Part. II. Tit. II. de ingress. Sacerd. ad alt.*
(s) Merat. *supr.* & Bauldr. *part. 3. cap. 2. art. 4. n. 5.*

erant

erant, ita hic se in linea recta constituunt. (t) Tum Diacono porrigit Celebrans biretum suum, quod cum quasi osculo recipit Diaconus & unà cum suo proprio tradit Cæremoniario; hic utròque acceptô derepente transit ad partem Evangelii, ut Subdiaconi pariter biretum recipiat, & eodem tempore genuflectunt omnes in plano penes infimum gradum, alteram manum interim ambo sacri Ministri cubitis Celebrantis supponunt, alteram verò applicant suo pectori: quod in simili casu semper observant nisi alterutra manus occupata sit, ut dum casulam tempore thurificationis sustinent, & quando tenet Subdiaconus patenam: jam verò si non adsit tabernaculum in altari, fit solum à Celebrante inclinatio profunda, & ejus cubitos non sustentant sacri Ministri (u.)

V. Quando Celebrans, Ministri altaris, & Capparii processionaliter eunt ad Clerum cum omni Clero, ingrediunturque per inferiorem eamque majorem Chori portam, quemadmodum fieri decet in Festis solemnioribus prout notabitur infra parte 4ta Art. 1. Thuriferarius, Acolythi & Cæremoniarius postquam sacristiæ Crucem profunda inclinatione salutaverint præcedent ordine consueto genuflexuri ante medium altaris penes infimum gradum, qua facta genuflexione disjungunt se quomodo supra dictum est, recedente Cæremoniario ad latus Thuriferarii in partem Epistolæ, sequuntur qui Clerum componunt bini & bini prout specificatum habetur superiori art. num. 4. à Cappariis immediatè subsequentibus ea observantur, quæ eodem in loco memorata sunt

(t) Bauldr. *ibidem num. 8.* (u) Gavant & Merat. *supr.*

hoc

hôc unô exceptô quod in ingressu ad chorum venerentur altare, postea Clerum, præmissaque inclinatione mutua dividunt se in duas partes & se utrinque collocant juxta inferiora scamna, ibique stant detecto capite, sacri tandem Ministri singulatim veniunt, & postquam ad ingressum constituerit se Celebrans medius Diaconum inter & Subdiaconum unà cum illis detegit caput, & solito more salutat chorum, qua facta salutatione iter ad altare prosequuntur, eo quo venerant ordine capitibûsque detectis, post istorum transitum loca sua illicò petunt Capparii ante pulpitum ubi genua flectunt, sicut & alii omnes juxta sedes suas post modicum Orationis tempus Capparii surgunt & Cantores, intonantque Introitum, interea accedit ad altare Celebrans, ibique se gerit cum Ministris, quemadmodum dictum est superius numero præcedenti.

VI. Adverte 1. Quod qui ad altare veniunt ex aliquo loco extra ejus ambitum velut ex choro aut sacristia, vel qui ab altari recedunt ad talia quædam loca ituri genuflectere semper debeant quoties recedunt aut adveniunt, etiamsi ad ipsum altaris medium non pervenirent, fitque genuflexio ista in plano nisi in proprio suo loco annotetur contrariũ, at verò qui ab uno ad aliud altaris cornu transeuntes ambitum ejus non transiliunt, ii tam in Missa quàm in cæteris Officiis penes quem gradum sunt, super eo genuflectunt, exceptîs inferioribûs Ministrîs qui semper in plano genuflectunt, nisi aliter in loco suo præscribatur.

VII. Adverte 2. Quod cum adest Presbyter Assistens procedat ipse ad altare tecto capite junctîs manibûs & à latere dextro Diaconi, quodque

chorum

chorum & altare salutet ad dextram Celebrantis
cujus sinistram tunc occupant Diaconus & Subdia-
conus: si super altari non adsit Sanctissimum Sa-
cramentum tantummodo se profundè inclinat si-
cut & Celebrans. genuflectit verò si adfuerit; hoc
autem observat quoties ante medium altaris per-
transit, gerens se quo ad reliqua prout de Dia-
cono relatum est supra num. 4 Porrò stat inte-
rim Diaconus à latere sinistro Celebrantis & Sub-
diaconus ad lævam Diaconi & aliquantulum à ter-
go ipsius. (x)

ARTICULUS III.

A Principio Missæ ad Introitum.

I. Exhibitâ a Celebrante & ejus Ministris debitâ altari reverentiâ, transfert se Thuriferarius ad cornu Epistolæ ubi flectit genua ad cujus sinistram flectet quoque Cæremoniarius postquam bireta in scamno deposuerit (y) eodem tempore candelabra sua deferunt Acolythi ad abacum seu credentiam, postea genuflectunt à lateribus credentiæ non ante eam, sed quasi collaterales candelabris facie ad altare conversa (z) & Celebranti submissè respondent, producuntque signa Crucis, inclinationes & alia sicut sacri Ministri: advertat autem secundus Acolythus qui est à parte Evangelii ut non genuflectat ante medium altaris dum defert candelabrum ad credentam, primus verò expe-
i

(x) Cærem. Episc. *lib. II. cap. VIII.* & Bauldr. *part. I. cap. 3. num. 3.* (y) Bauldr. *part. 3 art. 4. num. 10.* & Gavant. *Part. II. Tit. II. de ingress. Sacerd.* (z) Merat. *Part. II. Tit. II. de ingress.* & Bauldr. *supr.*

ctet

ctet eum in loco suo, ut ambo simul ad credentiam procedant, [a]

II. Medius inter sacros Ministros Celebrans Missam submissa voce inchoat ac prosequitur more consueto, cum hoc discrimine quòd vertat se ad Diaconum & Subdiaconum dum profert *Et vobis fratres* & *vos fratres*, manetque interim inclinatus illis erectis; respondent ei Ministri simili tono vocis, signum Crucis super se efformant quando & ipse, inclinat se mediocriter ad illum dum recitant *Misereatur*, sed profundè inclinati permanent per totum *Confiteor*, vertentes se cum hæc verba ad Celebrantem dirigunt *Et tibi Pater. Et te Pater.* [b] erigunt se posthæc ad *Indulgentiam*, & iterum inclinant se mediocriter sicut & ipse Celebrans, à *DEUS tu conversus* ad hoc usque verbum *Oremus* inclusivè.

III. Quô prolatô ad altare Celebrans ascendit cum ambobus sacris Ministris qui manu altera infra pectus admota, alterâ parumper elevant anteriorem partem albæ ipsius, ac vestis talaris, quod ab ipsis data simili occasione semper observandum est. Tunc autem erigunt se qui prius genua flexerant inferiores Ministri ac simul omnes qui choro intersunt, isti verò eas observant deinceps toto Sacri tempore particulares chori cæremonias quæ infra referentur part. 4. art. 3.

IV. Celebrans postquam ad altare pervenit illud in medio deosculatur consuetam recitando Orationem; sacri verò Ministri junctis manibûs genuflectunt interim à lateribus ejus; genuflectunt

(a) Merat. & Bauldr. *supr.* (b) Merat. *Part. II. Tit. III. de Princip. Miss.* & Bauldr: *part. 3. cap. 11. art. 4. num. 6.* Cærem. Episc. *lib. II. cap. VIII.*

quo-

quoque Cæremaniarius & Thuriferarius, qui ad procurandam benedictionem incensi eodem tempore in suppedaneum per partem Epistolæ conscenderunt; quod in simili casu semper observant nisi paulò ante genuflexerint: postea vertens se ad Thuriferarium Celebrans nec à medio altaris recedens incensum immittit in thuribulum benedicitque uti superius art. 2. num. 5. Deinde Thuriferario reddit Diaconus naviculam cum cochleari intus posito, & ab illo thuribulum recipit, tenensque illud manu dextra per superiorem partem catenularum, & sinistra per inferiorem osculatur summitatem catenularum & eam imponit in manum sinistram Celebrantis, imponens simul infimam partem earundem in dexteram quam osculatur elevando eam paulisper & ori suo ambabûs manibûs admovendo [c] nulla autem tunc Celebranti sive ante sive post facta inclinatione: mox conversus Celebrans ad altare eô modô thurificat ut explicabitur numero sequenti; interea Ministri sacri altera manu posteriorem partem casulæ ex utraque parte circa humeros sustinent, manu altera infra pectus suum interim applicata; & quo tempore reverentia qualiscunque à Celebrante exhibetur in medio altaris, semper ipsi genuflectunt ab eo aliquantulum remoti; jam verò Cæremoniarius & Thuriferarius statim ac iste naviculam recepit genuflectunt iterum in suppedaneo & in planum ad cornu Epistolæ ita recedunt ut altari terga non vertant. Deinceps Cæremoniarius Missale cum pulpito quando opus est ex altari reci-

(c) Merat. *Part. II. Tit. IV. de Introitu* & Bauldr. *part. 2. cap. 9. art. 2. num. 4.* Rubr. Miss. 4. *de Introitu.*

pit

pit & in eo reponit genuflectendo ante & poſt cum ſacris Miniſtris. [d]

V. Acceptô thuribulô inclinat ſe Celebrans profundè Cruci vel ſi adſit Sanctiſſimum Sacramentum genuflectit extremis manibûs innixîs margini altaris, adhibitâque diligentiâ ut thuribulô quantum fieri poteſt nec veſtes ſuas nec altaris antependium tangat. Erectus ter incenſat Crucem circa medium, nihil dicens toto thurificationis tempore, deinde facta rurſus inclinatione aut genuflexione ter ducit thuribulum æquali diſtantia ſupra altare verſûs candelabra, à medio procedens ad cornu Epiſtolæ, ubi demiſſa manu illud bis ductô thuribulô primùm inferius, deinde ſuperius thurificabit: attollens poſtea manum & faciem vertens ad Crucem, ter ducit thuribulum per modum ſemicirculi ſupra altare verſus partem ejus anteriorem incedens ab eodem Epiſtolæ cornu ad medium uſque; ubi rurſum facta debita Cruci reverentia, thurificat aliud latus altaris ter quoque æquali verſus candelabra ductô thuribulô uſque ad cornu Evangelii; & pariter incenſata inferiori ac ſuperiori parte ipſius cornu Evangelii duplici ductu prout fecit in cornu Epiſtolæ, vertit ſe ad Crucem & eundem locum non deſerens, ſed brachium duntaxat & pedem dextrum promovens verſus medium, alteram altaris partem deſuper incenſat triplici ductu per modum ſemicirculi; poſtea quem admoverat pedem retrahens manumque demittens ter incenſat partem anteriorem altaris ſeu frontem, progrediendo à cornu Evangelii ad medium, ubi Crucem veneratus ſi-

(d) Merat. *ſupr.* & Bauldr. *part. I. cap. I. art. 1. num. 21.*

cut

cut ante pariter incenſat partem anteriorem triplici ductu à medio uſque ad cornu Epiſtolæ: [e] ibique reddit thuribulum Diacono ſtanti in ſecundo gradu, qui oſculando primùm Celebrantis dextram quam ambabûs ſuîs manibûs ſuſtentat illud recipit, deinde manu dextra detinens inferiorem partem catenularũ, ſiniſtrâ ſumitatem illarum accipit ſimul & oſculatur [f] moxque deſcendit infra gradus unde Celebrantem thurificat, qui nullatenus ſe Diacono inclinat nec ante nec poſt incenſationem. [g]

VI. Si in altari fuerint Reliquiæ, incenſata Cruce thurificat Celebrans ex eodem loco Reliquias aut Imagines, primo in parte Evangelii ab iis incipiendo quæ Cruci proximiores ſunt, idque præſtat duplici tantùm thuribuli ductu quamvis plures vel pauciores eſſent ex utraque parte Reliquiæ ſeu Imagines, deinde facta denuò inclinatione Cruci vel genuflexione Sanctiſſimo Sacramento, illas parî modô incenſat, quæ ſûnt in cornu Epiſtolæ, tum abſque nova reverentia thurificare pergit in eadem parte altaris quemadmodum numero præcedenti dictum eſt, & in appoſita hìc figura exhibetur. (h)

VII. Peracta altaris thurificatione deſcendit Subdiaconus in planum ubi ſtat ante cornu Epiſtolæ dum Celebrantem Diaconus incenſat ſolito more hoc eſt triplici ductu cum profunda inclinatione ante & poſt, quam ſimul exhibent & Cæremoniarius ad latus ejus ſiniſtrum & thuriferarius ad dextrum ambo aliquantulâ ab eo diſtantiâ retrò collocati; poſtea Thuriferarius acceptum à Diacono

(e) Rubr. Miſs. 4. *de Introit.* & Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. XXIII.* (f) Merat. *Part. II. Tit. IV. de Introit.* & Bauldr. *part. 2. cap. 5. art. 2. num. 8.* (g) Merat. & Bauldr. *ſupr.* (h) Rubr. Miſs. 5. *ſupr.* Cærem. Epiſc. *ibidem.*

K

thuri-

thuribulum defert ad locum destinatum, & è vestigio ad credentiam revertitur, nisi aliò distineatur cum Cæremoniarius deest.

VIII. Observa 1. Rubricam Missalis tit. 4. num. 6. ubi habetur quod toties genuflectere debeat Celebrans quoties transit ante medium altaris, in quo est tabernaculum solummodo de tempore incensationis intelligendam esse, ut communiter sentiunt auctores; (1) sicut etiam cum in Rubricis generalibus tit. 17. num. 4. refertur, quod Ministri semper cum Celebrante genuflectant, illud intelligi non debet nisi de iis Ministris qui tunc sunt à lateribus ejus, ut constat ex usu vulgari, nisi in proprio suo loco diserta habeatur mentio contrarii.

IX. Observa 2. Quod præter casum mox allegatum durante Sacro teneantur sacri Ministri genuflectere 1. Quotiescunque transeunt ante Crucem altaris; nisi contrarium notetur in proprio loco. 2. Quando ex locis ascendunt ad latera Celebrantis dum stat in medio altaris, vel ab eo recedunt ut loca sua retrò post ipsum petant, genuflectunt in loco quem deserunt, sed non in eo ad quem perveniunt; vel etiam post Consecrationem aut coram Sanctissimo Sacramento exposito. 3. Quando ex quovis alio loco quàm à lateribus Celebrantis ad sua ex opposito medii altaris penes Sacerdotem loca veniunt, aut ea deserunt ut aliò se recipiant; in prædictis suis locis genuflectere debent quoties adveniunt; vel recedunt; nisi junctim cum Celebrante incedant, tunc enim ut ei sese conforment non genuflectunt. 4. Quando ab al-

(1) Gavant. & Merat. *Part. II. Tit. IV. de Introit.* & Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 4. num. 20.*

tero

tero Celebrantis in altaris medio existentis latere transeunt ad aliud, genuflectunt ad utrumque latus ejus, non autem in medio, sive ante sive post Consecrationem, quando verò transferunt se ab uno ad aliud altaris cornu transeuntes genuflectunt in medio tantùm, nulla facta in angulis genuflexione vel etiam post Consecrationem vel ante expositum Sanctissimum Sacramentum. 5. Excipiuntur ab his generalibus regulis speciales quidam casus; videlicet in principio Missæ cum Celebrans osculatur altare licèt ipse non genuflectat, genuflectunt tamen á lateribus ejus sacri Ministri, quia tunc ad Crucem primùm accedunt; item Subdiaconus librum Evangeliorum deferens Celebranti ad deosculandum, nullam transeundo reverentiam exhibet Cruci, neve quidem expositô Sanctissimô Sacramentô; idem quoque Minister delatá patenâ sub finem Orationis Dominicæ genuflectit discedens ex angulo altaris, non verò cum ad locum suum pervenit. 6. Hasce memoratas genuflexiones tempore Missæ solemnis peragunt Ministri sacri, tametsi non tabernaculum sed Crux sola sit in altari, atque nonnisi profundam inclinationem præstet Celebrans.

X. Observa 3. Quod cæteri inferiores Ministri debeant servata proportione in suis ad altare genuflexionibus tempore Sacri contentas numero superiori regulas observare, cum hoc discrimine quod ipsi ordinariè genuflectant in plano; huc accedit quod cum inter altaris Ministros annumerentur, Celebranti & sacris Ministris conformare se potius debeant, quàm iis qui choro intersunt, exceptîs quibûsdam infra notatîs casibûs; 1. Tot super se signa Crucis efformant quot & Celebrans

 2. In-

2. Inclinant se ut ille versùs Crucem ad hoc verbum *Oremus*, ante Orationes, nec non ad Sacratissimum nomen *JESUS*; ad cætera verò verba quæ cum capitis inclinatione à Sacerdote proferuntur ante se inclinant caput. 3. Inclinati sunt mediocriter à *Sanctus*, usque ad *Benedictus*: ad *Agnus DEI*, & ad *Domine non sum dignus*: 4. Percutiunt pectus ad hæc ultima duo, sicut & ad *Nobis quoque peccatoribus* atque *mea culpa* in *Confiteor* 5. Sedent detecto capite postquam sederit Celebrans cum sacris Ministris, & quamprimùm ex iis aliquis surgit, erigunt se & ipsi. Verùmtamen toto tempore Sacri non sedet Cæremoniarius quamvis cæteri sedeant omnes, sed stat ille penes sacros Ministros, ut eis quando caput detegendum vel à sedibus surgendum innuat. 6. Flectunt unicum genu cùm simili modo genuflectit Celebrans ad certos quosdam casus, versus, ut sunt. *Adjuva nos DEUS. Veni Sancte Spiritus; Et procidentes adoraverunt eum, Et incarnatus est, Et verbum Caro factum est.* Jam verò ut Acolythi & Thuriferarius Celebranti in his omnibus se faciliùs conformare queant, quamdiu loca sua prope credentiam occupant sive stando sive genuflectendo aliquantulum sint oportet ad altare conversi. 7. Quando ex prædictis versiculis quidam veluti; *Adjuva nos DEUS &c. Veni Sancte Spiritus. Et incarnatus est*, in choro decantatur, ipsi choro sese conformant, genua tunc flectentes etiamsi Celebrans & sacri Ministri interim sederent, ut re ipsa sedere solent ad hæc verba *Et incarnatus est*: conformant se præterea choro non solum in principio cujuslibet Sacri, sed ad Orationes, & à *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, in Missis de Requiem

Requiem & Feriis majoribus, quarum mentio fiet Articùlô sequentî num. 9. genua flectendo; nisi circa ea occupentur quæ ad Officia sua spectant, ut assolet Cæremoniarius qui eam ob rem stare debet in plerisque hic commemoratis casibus. 8. Junctas tenent manus ab initio Sacri ad primam usque thurificationem, ab introitu quoad usque *Kyrie* absolverit Celebrans per Hymnum *Gloria*, Evangelium & *Credo*, per eas Orationes quas in principio & fine Sacri Celebrans canit dum dicit *Oremus*, ac demum Offertorium postea legit: tempore Præfationis, & à Consecratione usque ad Communionem inclusivè. Dum datur benedictio & ultimum legitur Evangelium; atque demum toto illo tempore quo sunt genibûs flexîs, si expeditæ sint manus. Cæremoniarius insuper junctîs est manibus dum ad altare assistit Celebranti, vel Ministrum aliquem eas junctas tenentem comitatur, vel per sanctuarium incedit, tum in Missa tum in quovis alio solemni Officio, nisi circa quodpiam tenendum occupentur; hæc eadem regula, juxta quam alibi super hoc dicta intelligenda sunt, à Thuriferario servanda est, & ab Acolythis. Extra casus supra specificatos, brachia supra pectus in formam Crucis composita tenent inferiores Ministri.

XI. Observa 4. Quod permaneat si adfuerit Presbyter Assistens ad dextram Celebrantis tempore *Confiteor*, eique respondet, & ita se gerit sicut ambo sacri Ministri, tunc stantes à latere sinistro: ascendit postmodum cum illo ad altare manu sinistra elevans albæ & vestium ejus anteriora; factaque debita altari dum illud Celebrans osculatur reverentia, recipit sese ad cornu Epistolæ penes

penes librum, ut locum cedat Diacono, cui competit & ad benedictionem thuris ministrare, & thurificationi solito more assistere; interea Presbyter Assistens ex altari Missale quando opus est, recipit & deinde reponit cum requisitis ante & post reverentiis; (l) Cæremoniario tum permanente in suo penes Thuriferarium loco.

ARTICULUS IV.

De Introitu, Kyrie, Gloria in Excelsis, ad Epistolam usque.

I. CElebrans facie versa ad altare in cornu Epistolæ Introitum submissa voce legit, Diacono ad dextram ejus stante in secundo gradu, Subdiacono ad dextram Diaconi supra pavimentum, (m) si majus altare, ut supponitur, & esse revera debet tribûs gradibûs ad partes collaterales sicut & anteriores circumdatum sit: stat penes librum Cæremoniarius facie versa ad altare, ut quæ dicenda sunt Celebranti indigitet, post Introitum stans in eodem loco Celebrans *Kyrie* recitat alternatim cum suis Ministris, ibique deinceps permanet quoadusque ultimum *Kyrie* decantetur in choro; vel si satis notabile tempus superfuerit, ut eant ad sedes, quod solemnioribus festis, quibûs solemnior quoque cantus est contingere solet, recedunt ab altari nulla ei facta inclinatione nec genuflexione, sedentque prout infra dicetur n. 4.

(l) Bauldr. *part. I. cap. 3. num. 3. & 4.* & Cærem. Episc. *lib. I. cap. VII.* (m) Rubr. Miss. 7. *de Introit.* & Merat. *Part. II. Tit. IV. de Introit.* Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 5. num. 1.*

4. Ad-

4. Advertendum tamen est, quod non debeat prius Celebrans sedere quam decantatus sit in choro Introitus.

II. Canente choro ultimum *Kyrie eleyson* si Celebrans cum ambobus suis Ministris non sederit, Diaconus in secundo gradu à tergo Celebrantis, & Subdiaconus à tergo Diaconi, in plano in linea recta se collocant; postea terni simul procedunt ad medium altaris, incedit Diaconus per secundum gradum in quo stabat, Subdiaconus verò per pavimentum nulla facta genuflexione (n) quod si desint gradus, Ministri sacri æqualiter ab invicem distent. At verò si tunc in sedibus fuerint caput aperiunt omnes, atque ambo Ministri depositîs quamprimùm suîs in scamno biretîs, & postquam Diaconus Celebrantis adhuc sedentis biretum cum consuetis semiosculis recepit, ambo venerantur eum inclinatione mediocri, & cum ipso per longiorem viam procedunt ad altare præeunte Cæremoniario; quò advenientes genuflectunt in infimo gradu, Cæremoniarius verò in plano? (o) sed si non fuerit in altari tabernaculum tantummodo inclinat se Celebrans profundè; postea vestes anteriores illius sublevant ambo Ministri sacri ad secundum usque gradũ, quem cum illo conscendunt, ibique remanet Diaconus, Subdiaconus verò statim descendit ad suum consuetum in plano locum, ita ut in linea recta unus stet post alium & uterque post Celebrantem. (p)

III. Ultimo *Kyrie* decantato intonat elata voce

(n) Bauldr. *supr.* & Merat. *ibidem.* (o) Merat. *Part. II. Tit. IV. de Introit.* & Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 5. num. 6.* (p) Rubr. Miss. 7. *de Introit.* Merat. *supr.* & Bauldr. *part. 1. & 3. supr. num. 6.*

 Cele-

Celebrans [si dici debeat] Hymnum [*Gloria in excelsis* DEO, chorus reliquum cum cantu prosequitur; ad hanc vocem DEO, tam Celebrans quàm cæteri caput inclinant; postea ambo Ministri sacri genuflectunt, & simul ascendunt ad latera Celebrantis, Diaconus ad dextrum, Subdiaconus ad sinistrum, ubi Hymnum recitare pergunt cum Celebrante, quem non præveniunt; easdem quosipse inclinationes exhibent, signumque Crucis sub finem efformant.

IV. Post recitatum Hymnum si sedere velit Celebrans, prout expedit diebus saltem Festis de præcepto, cum ambobus Ministris suis debitam altari reverentiam exhibet, quâ factâ ad partem Epistolæ progrediuntur, alius post alium si procul eorum distent sedes; vel si prope sint, simul eunt sacri Ministri quos Celebrans subsequitur; cum autem ad præparatas sibi sedes pervenerint, sedet Celebrans elevantibûs Ministrîs posteriorem ejus casulæ partem, & biretum porrigit ei Diaconus more consueto; ambo postea acceptîs biretîs suîs factaque mediocri Celebranti inclinatione, lateribus ejus assident, utroque interim Dalmaticam suam vel Tunicellam sublevante retrorsum, ac tegente postea caput. Cavent ne sessum eant dum in choro aliquis canitur ex *Gloria* &c. versus, ad quem detegit & inclinat se Clerus; quodsi tunc viam jam iniissent, eos oporteret sistere, & inclinare se altari; quamdiu verò sedent solùm requiritur in hocce casu, ut depositô biretô, eôque dextra manu supra genu dextrum applicatô, inclinent se uti Clerus; quô circa dat eis Cæremoniarius inclinatione signum: per reliquum tempus

pus tecto sunt capite expansîsque supra genua manibûs. (q)

V. Postquam sederit Celebrans cum sacris Ministris, sedent & Acolythi cum Thuriferario in locis suis, sed detecto capite & complicatîs brachiîs supra pectus, inclinantes se prout Celebrans ac Ministri sacri.

VI. Sub Hymni finem ad hæc verba *Cum Sancto Spiritu* Celebrans & sacri Ministri nullô tunc efformatô signô Crucis, sed biretîs mox depositîs, revertuntur ad altare uti supra num. 2. dictum est, præeunte Cæremoniario; & postquam jam pervenerint ante cornu Epistolæ, Diaconus ad planum aliquantulùm retrocedit, ut Celebranti quem transeuntem capitis inclinatione veneratur, liber sit aditus: quod in simili casu semper observandum: erigunt se Thuriferarius & Acolythi cum sacris Ministris muniuntque se signô Crucis simul cum Clero, ac deinceps stant suis in locis, sed ad Celebrantem si ex regione ipsorum transeat inclinant se mediocriter. Quando verò Celebrans non sedet, stant à lateribus ejus ac parumper à tergo ambo sacri Ministri, ac unà cum illo ad eosdem versus se inclinant, ad quos & chorus, cum ultimus canitur ambo simul genuflectunt & ad loca sua descendunt alius post alium; (r) tunc autem non sedent inferiores Ministri neque etiã quando vel unus stat è sacris Ministris, etsi sedeat Clerus.

VII. Hymnô decantatô altare deosculatur Celebrans canitque *Dominus vobiscum*; tum incedit ad cornu Epistolæ, quò simul tendunt sacri Ministri per rectam lineam incedentes, nec tamen genuflectere recedentes è medio altaris, nec Celebran-

(q) Gavant. & Merat. *supr.* Bauldr. *ibidem.* (r) Merat. *supr.* Bauldr. *supr. num.* 7.

lebranti quando se vertet ad illos inclinare se debent; quod observant in simili occasione. Stant ibi tempore quô canit Celebrans Orationes, junctasque tenent continuò manus, & inclinant se quando & ille, sed *Amen* non respondent nec cætera omnia ad quæ solet chorus respondere, (s) stat autem penes librum Cæremoniarius, indigitatque Celebranti Orationes dicendas, & folia quando opus est vertit dextra manu si steterit in cornu Epistolæ, sinistrâ verò si in cornu Evangelii; stant in locis suis ambo Acolythi cum Thuriferario junctis manibûs, inclinantes se cum oportet, non secùs ac sacri Ministri.

VIII. Cum dicendum occurrit *Flectamus genua*, Diaconi est illud canere qui primus genua flectit, Subdiaconi verò cantare *Levate* erigendo se ante alios omnes, qui excepto Celebrante genua flectunt suis in locis. (t)

IX. In Missis feriarum Adventûs, Quadragesimæ. Quatuor temporum & Vigiliarum quibûs jejunium de Jure communi præscriptum est, sicut & in mortualibus sacris, omnes altaris inferiores Ministri & universi choro adstantes flexis sint genibus oportet toto illo tempore, quô Celebrans Orationes cantat, tam in principio quàm in fine Sacri, sicut etiam á *Sanctus* inclusivè ad *Pax Domini* exclusivè: excipiuntur ab hac regula Vigiliæ Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Quatuor tempora Pentecostes, & Sabbatum Sanctum.

X. Si adfuerit Presbyter Assistens post Celebrantis incensationem collocat se ad ejus latus dextrum extra suppedaneum, facie versa ad cor-

(s) Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 5. num. 9.* & Gavant & Merat. *Part. II. Tit. V. de Orat.* (t) Rubr. Miss. 5. *de Orat.*

nu

nu Evangelii, & indicat Introitum Celebranti, quo cum signum Crucis inclinationes quæ occurrunt producit; si dicendus sit hymnus. *Gloria in excelsis* indicat illum Celebranti; postea repetit angulum altaris in cornu Epistolæ, ubi sese inclinat simul cum illo ad quos oportet versus signumque Crucis sub finem efformat. Si ad *Kyrie* aut ad *Goria* sessum eatur, graditur ipse post Celebrantem occupaturus sedem à dextris Diaconi; sedet autem semiconversus ad altare, tecto capite sed biretum deponit & sese inclinat quoties & Celebrans. Circa finem erigit se unà cum sacris Ministris, Celebrantem salutat, quemadmodum debuit antequam sederet eum salutâsse; reditque omissâ quavis alia salutatione, per breviorem viam ad cornu Epistolæ, ubi Celebranti Orationes canendas, Epistolam, Graduale & cætera usque ad Evangelium indicat.

ARTICULUS V.

De Epistola, Graduali, & sequentibus ad Evangelium.

I. CIrca finem ultimæ Orationis si plures occurrant, Cæremoniarius vel in ejus absentia Thuriferarius librum Epistolarum accipit ex credentia, eumque ita per latera tenens ut sectura illius sit in manu dextra, clausum defert Subdiacono, hìc ambabûs manibûs illum ab inferiori parte recipit libri sectura imposita manui sinistræ & superiori parte supra pectus applicata, cum mutua inclinatione ante & post; (u) tum

(u) Rubr. Miss. 4. *de Epist.* Merat. *Part. II. Tit. VI. de Epist.*

conver-

converſus iterum ad altare Subdiaconus ſtat in eodem loco ad Orationis uſque concluſionem ſive fuerit *JESUM Chriſtum* ad quæ verba inclinat ſe Cruci, ſive *qui vivis* aut quid ſimile; tunc autem procedit ad medium altaris, ubi ſupra infimum gradum genuflectit cum Cæremoniario à ſiniſtris, qui illum hoc tempore comitatur; (x) poſtea ad locum ſuum reverſus elata voce cantat Epiſtolam, ipſemet librum ſuſtentans; vel ſupra eum pulpito ſi adfuerit impoſitum, ambas extendens manus. Ad hæc verba *ut in nomine JESU omne genu flectatur &c.* quæ in Epiſtola Miſſarum de Cruce & de Dominica in palmis reperiuntur flectit genua cum Cæremoniario ad ſiniſtram col-collocato, flectunt & in locis ſuis inferiores Miniſtri & omnes qui choro interſunt uſque ad *infernorum* incluſivè; ſi tunc temporis Celebrans in Graduali aut Tractu legendo non ſit diſtentus ſimiliter genua flectit in medio altaris ſupra marginem ſuppedanei cum Diacono ad ſiniſtram: ſed cum hæc eadem verba legit ipſe in Epiſtola, flectit alterum tantum genu, cum Diacono dextram occupante.

II. Epiſtolam inchoante Subdiacono; aſcendit Diaconus nulla facta genuflexione (*y*) ad dextram Celebrantis ſtatque ibi aliquantulum à tergo ipſius quoadusque decantata ſit Epiſtola, eam interim Celebrans perlegit ſubmiſſa voce, & ea quæ ſequuntur ad *Munda cor meum* excluſivè: inclinat ſe Diaconus, genuaflectit unà cum Celebrante, vertit quando opus eſt folia Miſſalis, & ad finem

(x) Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 10. & *lib.* 2. *cap.* 8. Gavant & Merat. *ſupr.* (y) Merat. *ſupr.* Bauldr. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 11.

Epiſto-

Epiſtolæ reſpondet *DEO gratias*, (z) non ſe etiam movet ab eodem Celebrans loco, donec Subdiaconum benedixerit.

III. Finitâ Epiſtolâ mox incipiunt in choro canere Graduale & quæ illud ſequuntur: Thuriferarius autem impoſitum it ignem in thuribulum, poſtea repetit altare ante ultimum Gradualis aut Tractûs verſiculum, non omiſſa tam in exitu quã in reditu ſupra pavimentum genuflexione.

IV. Poſt factam in medio altaris genuflexionem Subdiaconus quem comitatur Cæremoniarius ut antea, tendit per breviorem viam ad cornu Epiſtolæ, unde Diaconus paulò ante receſſiſſe debuit, ibique in margine ſupremi gradus flectit genua coram Celebrante, cujus manum dextram deoſculatur, quam eapropter Celebrans ipſe ſuperiori parti libri Epiſtolarum admovit, ſiniſtrâ interim ſuffulta, Subdiaconum poſtea benedicit Celebrans abſque ulla prolatione verborum (a) tum erigit ſe Subdiaconus & librum Cæremoniario tradit, quem iſte ad credentiam defert, niſi is idem liber ſit qui ad Evangelium inſervit, in hoc quippe caſu illum detinet Diacono tradendum, ſtatim atque dictum fuerit à Celebrante *Mundæ cor meum*.

V. Si adveniente Subdiacono Tractum vel Proſam Celebrans nondum perlegerit, ei tamen ſtatim ac pervenerit, manum ſuam porrigit ad deoſculandum, poſtea quæ ſuperſunt legere pergit, expectante ibi Subdiacono in pedes erecto, quoadusque finierit Celebrans, libri transferendi cauſâ.

VI. Advertendum ſi plures occurrant Epiſtolæ uti contigit in Miſſis Quatuor temporum & qua-

(z) Bauldr. *ſupr.* Merat. *ſupr.* Merat. *ibidem.* (a) Rubr. Miſs. 4. *de Epiſt.*

rundam

rundam aliarum dierum, illas canendas esse in loco & tono Epistolæ consueto cum genuflexione ante & post, ex opposito medii altaris; solus verò Subdiaconus manum celebrantis osculatur post ultimam, quam semper ab ipso oportet decantari, siqué ut convenit, ab aliis priores cantentur; manet interim ad latus Diaconi eodem, quô ad Introitum modô, nulla exhibita salutatione sive accedendo sive cum retrocedit. Quod attinet ad Prophetias ante Missam cani solitas diebûs Vigiliîs Paschæ ac Pentecostes, in illis tonus Lectionibus proprius cum speciali sub finem inflexione observatur.

VII. Subdiaconus post receptam à Celebrante benedictionem Missale accipit ex altari claudit & cum pulvillo seu pulpito transfert, à tergo Diaconi transiens per planum & genuflectens in medio altaris, postea depositô librô supra cornu Evangelii, recedit in partem ac quasi retrò post librum, statque in secundo gradu ubi Sacerdoti respondet. (b)

VIII. Celebrans data Subdiacono benedictione confert se ad medium altaris, ubi recitat *Munda cor meum*; quando ad librum postea pervenit, legit submissa voce cum consuetis Cæremoniis Evangelium, sed in fine librum non osculatur neque dicit *Per Evangelica dicta*, quæ verba tum primum profert cum decantavit Diaconus Evangelium, [c] respondet ei Subdiaconus eadem signa Crucis super se formans, easdem inclinationes præstans ac genuflexiones quas & ipse, addit in fine *Laus tibi Christe*, & versus altaris medium admovet Missale, relicto sufficienti spatio in quo explicetur Corporale, tum genuflexione facta de-

(b) Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 5. num. 13.* & Merat. *Part. II. Tit. VI. de Epist.* (c) Rubr. Miss: 5. *de Epist.*

scendit

scendit in planum retrò post Celebrantem, ibique manet erectus in pedes, donec eundum sit ad cantandum Evangelium; Celebrans autem lectô Evangeliô se recipit ferè ad medium altaris, ita ut sit inter cornu Evangelii & medium altaris, facie ad ipsum altare versa; & ibi stat quousque sit tempus benedicendi incensum & Diaconum. (d)

IX. Statim ac dictum est à Celebrante *Munda cor meum* Diaconus qui mansit in cornu Epistolæ à Cæremoniario librum Evangeliorum accipit eô modô quemadmodum supra diximus de Subdiacono, librô itaque receptô descendens in planum genuflectit in medio infimi gradus (e) postea conscendit ad altare in ejus medio librum clausum & expansum collocat ita ut pars quæ aperitur respiciat cornu Evangelii, factaque eodem in loco genuflexione, transfert se ad locum medium inter Celebrantem & Subdiaconum, ut Evangelio intersit; quô perlectô ad secundum gradum penes Sacerdotem descendit, nulla genuflexione facta.

X. Si quæ prosa vel sequentia canatur nolitque Celebrans sedere, stat uti dictum est, cum ambobus suis Ministris à tergo, donec oporteat pro Evangelio incensum benedicere; sed si sessurus eat, ea observantur quæ supra post *Kyrie* & *Gloria* præscripta sunt; hôc unô exceptô quod omnes tres satis tempestivè ad altare reverti debeant, ut Thuris benedictio & cætera fiant antequam à cantu destiterit chorus.

XI. Feriîs Quadragesimæ Celebrans & sacri

(d) Bauldr. *ibidem* & Merat. *supr.* (e) Cærem. Episc *lib. 2. cap. 8.*

Mini-

Ministri genua flectunt in margine suppedanei dum canitur in choro versiculus *Adjuva nos Deus &c.* convenit autem ut antea Celebrans Evangelium suum perlegerit diligenter, thuribuloque thus imposuerit; atque dum præfatus versiculus cantatur dicat Diaconus *Munda cor meum* ut nihil deinde moretur cum pro accipienda benedictione venit, præter Evangeliorum librum accipiendum; minorque sit hôc modô inter sacra interruptio. Idem eadem de causa servandum in votivis de Sancto Spiritu, in quibus cantatur *Veni Sancte Spiritus.*

XII. Si Sacrum fiat cum Presbytero Assistente Diaconus in suo post Celebrantem loco permaneat quo tempore canitur Epistola, & accedente Subdiacono ad recipiendam Celebrantis benedictionem Presbyter Assistens ut locum det illi, aliquantulum ad cornu Epistolæ recedit, postea ipsemet Missale per breviorem viam defert ad cornu Evangelii ubi Celebranti respondet; tum librum admovet versus medium altaris nulla exhibita salutatione, statque deinceps eodem in loco ad Celebrantis sinistram donec Evangelium à Diacono incipiat cani, toto illo temporis intervallo stat Subdiaconus in plano post Celebrantem, quem sequitur euntem ad legendum Evangelium, ita tamen ut altaris gradus non conscendat. [f]

ARTICULUS VI.

De Evangelio per Diaconum decantando ac de Symbolo.

I. ANte ultimum versiculum Gradualis aut Tractus, qui canitur in choro Thuriferarius redit

(f) Bauldr. *part. 1. cap. 3. num. 6.*

redit ad cornu Epistolæ, cum facta genuflexione ad dextram Cæremoniarii in plano ascendit cum illo in suppedaneum; quo etiam tempore Diaconus in margine suppedanei genuflectit tum ad dextram Celebrantis ascendit, Thuriferarius verò naviculam quam dextra tenet tradit Diacono, deinde ministrat thuribulum eô modô quô fecit in prima altaris incensatione ante introitum: tunc Diaconus accepta manu dextra de navicula cochleari per manubrium, illud porrigit Celebranti cum osculis tam cochlearis quam manus Celebrantis & impositô ac benedictô incensô eô modô ut supra dictum est, stante interim Subdiacono in suo loco, Thuriferarius recepta navicula & facta genuflexione cum Cæremoniario in suppedaneo, uterque descendit per latus Epistolæ redeundo postea ad credentiam, ubi Thuriferarius præparat se cum Acolythis ad eundum pro Evangelio. [g] Diaconus redditâ naviculâ genuā flectit in margine suppedanei, recitatque manibûs junctîs inclinatus *Munda cor meum*, postea erigit se in pedes ut Evangeliorum librum accipiat ex altari, quô acceptô rursum genua flectit in medio suppedanei nonnihil conversus ad Celebrantem, ut ab eo benedictionem petat, proferens clara & intelligibili voce: *Jube Domne benedicere*; conversus ad ipsum Celebrans, junctîs manibûs dicit *Dominus sit in corde tuo &c.* & addens in fine *In nomine Patris &c.* sinistram manum admovet pectori, signumque Crucis super Diaconum effor-mat dextrâ, quam mox illi porrigit ad osculandum, eam demittens in superiorem partem libri sibi

(g) Merat. *Part. II. Tit. VI. de Epist.*

ſibi à Diacono in hunc finem porrecti, (h) ſurgit poſtea Diaconus & tenens librum Evangeliorum ambabûs manibûs clauſum ut Subdiaconus pro Epiſtola ſupra pectus, ſed ùt præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum ante pectus [i] in planum deſcendit ad dextrum Subdiaconi latus.

II. Quo tempore Diaconus à Celebrante benedicitur, Cæremoniarius ducit à credentia Thuriferarium thuribulum ſuum & naviculam more ſolito deferentem, & ambos Acolythos cum candelabris ſuis ad medium altaris in plano penes Diaconum & Subdiaconum, ipſe autem collocat ſe ad ſiniſtram Subdiaconi, & ita diſpoſiti omnes genuflectunt, Miniſtri quidem ſacri ſuper infimum gradum, cæteri verò in plano, poſthac incedunt omnes ad partem Evangelii ſequenti ordine, nimirum primus incedit Cæremoniarius, deinde Thuriferarius, tum Acolythi, ac demum ſequitur Diaconus portans librum Evangeliorum clauſum ante pectus ut ſupra, habens à ſiniſtris Subdiaconum tenentem junctas manus. Cum ad locum ubi cantari ſolet Evangelium pervenerint, hôc modô ſeſe collocabunt omnes; recipiunt ſe Cæremoniarius & Thuriferarius prope infimum gradum altaris, verſa facie ad ſeptemtrionem, vel ad eam partem quæ ſeptemtrionem exhibet, ex oppoſito collocant ſe Acolythi facie verſa ad illos; conſtituit Subdiaconus medium inter Acolythos, Diaconus verò è regione ipſius medius inter Cæremoniarium à dextris, & Thuriferarium á ſiniſtris, ſtantes ambo parumper à tergo, (l) mox

(h) Rubr. Miſs. 5. *de Epiſt.* Merat. *ſupr.* Bauldr. *part.* 3. *ſupr. n.* 8. (i) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 8. Gavant. Merat. *Part. II. Tit. VI. de Epiſt.* (l) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 8.

dabit Diaconus Subdiacono librum apertum quem hic recipit ac ſuſtinet ambabûs manibûs per inferiorem partem ante pectus, fronte fulciens partem ſuperiorem, ut Diaconus comodè legere poſſit: [m] ſi ferat conſuetudo loci, ut pulpitum adhibeatur Evangelii cantandi gratiâ, illi librum ſuum ſuperponit Diaconus, & tunc Subdiaconus collocat ſe retrò, ſtatque admotîs manibûs ad hanc & illam libri partem, nec ſe inclinans nec genuflectens.

III. Celebrans data Diacono benedictione caput inclinat Cruci, ac illico cornu Epiſtolæ petit, ubi ſtat facie verſa ad altare, manibûs junctîs, quouſque Diaconus incipiat *Dominus vobiscum* tunc ſolum Celebrans vertit ſe ad Diaconum permanetque ita junctîs manibûs quoaduſque fuerit oſculatus Evangelium & à Diacono incenſatus. (n)

IV. Ubi primum Clerus in choro deſiit à cantu, intonat Diaconus *Dominus vobiscum*, deinde ad *Initium* vel *Sequentia Sancti Evangelii* pollice dextro ſignum Crucis efformat ſuper initium textûs Evângelii, ſiniſtrâ ſuper librum Evangeliorum poſitâ, tum ſupra frontem, os, & pectus, ſiniſtrâ infra pectus interim admotâ, (o) eodem tempore Celebrans & univerſus Clerus exceptis Subdiacono, Acolythiis & Thuriferario, muniunt ſe ſignô Crucis in ore, fronte & Pectore, dum reſpondetur in choro *Gloria tibi Domine*, quod lentè cani debet, Cæremoniarius acceptum à Thuriferario clauſum thuribulum porrigit Diacono, qui triplici ductu librum incenſat: primo in medio, ſecundo in parte dextra, libri, [p] tertio in ſini-

(m) Merat. *ſup. part.* 1. & 3. *ſupr.* (n) Merat. *ſupr.* Bauldr. *Part.* 3. *ſupr.* (o) Merat. & Bauldr. *ſupr.* (p) Gavant. & Merat. *Part. II. Tit VI. de Epiſt.* Caſtald. *lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 5. *num.* 12.

ſtra, inclinans ſe profundè ad librum ante & poſt; quam inclinationem pariter præſtant Cæremoniarius cum Thuriferario. Tum Diaconus thuribulum Cæremoniario reddit ac Evangelium junctis manibûs proſequitur poſtquam in choro completum eſt *Gloria tibi Domine*, & hic ſtatim illud tradit Thuriferario.

V. Quando Nomen *JESUS* inter Evangelium profertur, inclinat ſe Diaconus verſus librum, Celebrans verò, Cæremoniarius, Thuriferarius, ac omnes choro adſtantes verſus Crucem ſeſe inclinant; idem quando genuflectendum eſt obſervant, Diaconus genuflectit verſus librum, cæteri autem verſus altare: ſed ad Nomen *MARIÆ*, & ad alia quæ inclinationem poſtulant ad librum ſemper tempore Evangelii dirigitur inclinatio, Subdiaconus autem & Acolythi nec ſe inclinant, nec genuflectunt toto Evangelii tempore. (q)

VI. Evangeliô percantatô indicat Diaconus ejusdem initium Subdiacono, & ſtatim ſe retrahit aliquantulum faciem quaſi verſus altare convertens, tum recta incedit Subdiaconus ad Celebrantem cui librum apertum & erectum defert, ſed nullam exhibet accedendo reverentiam, nec altari quidem dum tranſit etiamſi expoſitum foret Sanctiſſimum Sacramentum, poſtea manu dextra indicat Celebranti principium Evangelii: quod ei ad oſculandum porrigit, (r) deinde clauſo quamprimùm libro, Celebranti ſe mediocriter inclinat aliquantulum ab eo retrocedens, tum deſcendit in planum ante gradus, ubi cum cæteris genuflectit

(q) Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 8.* Merat. *ſupr.* (r) Cærem. Epiſc. *ſupr.* Merat. *ſupr.*

ſini-

ſiniſtram ejus tunc tempore occupante Diacono, & dextram Cæremoniario, [s] cui librum reddit, ac deinceps ſtat ante altare ex oppoſito Celebrantis vel ipſemet abſente Cæremoniario, librum ad credentiam refert, ſtatimque locum ſuum ponè Celebrantem repetit, ubi ſupra gradum genuflectit, ſi ad medium pervenerit.

VII. Dum Celebranti librum fert Subdiaconus accedunt cæteri Miniſtri ad medium altaris per pavimentum eô ipsô quô profecti fuerant ordine ac ſimul genuflectunt omnes, permanet in eodem loco Diaconus ut Celebrantem thurificat, ad ejus dextram ſed aliquantulum retrò ſtante Thuriferario, qui cum illo inclinat ſe profundè ante & poſt incenſationem; interea credentiam unà repetunt Acolythi, ubi candelabra deponunt: [t] Diaconus verò reddit Thuriferario poſt Celebrantis incenſationem thuribulum, & ad ſuum locum ponè Celebrantem conſcendit, facta extemplo genuflexione Thuriferarius, ad conſuetum locum thuribulum refert, ſalutando chorum, ſi tranſeat coram illo, deinde carbonibus de thuribulo extractis, ad credentiam revertitur, ibique manet dum Symbolum canitur, quodſi omittendum ſit, thuribulum ſuum è veſtigio parat pro Offertorio; ſi per Sacra præconium vel Concio habenda ſit, ſtatim poſt Evangelium aut Symbolum haberi debet.

VIII. Confert ſe Celebrans, ſtatim atque incenſatus eſt ad medium altaris, ubi elata voce intonat *Credo in unum* DEUM, ſi debeat dici, reliquum proſequitur chorus, caput ad *DEUM* inclinant univerſi: tum ambo ſacri Miniſtri, facta

(s) Bauldr. *part. 1. cap. 13. art. 1. num. 22.* (t) Merat. *ſupr.* Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 6. n. 5.*

ſuis

suis in locis genuflexione, unà conscendunt ad hoc & illud Celebrantis latus, & Symbolum cum eo recitare pergunt; ad versiculum *Et incarnatus est*, cum ipso flectunt uno tantum genu manibus tamen altari non innixis: quod in simili casu semper observant; atque in fine muniunt se signô Crucis; stant deinceps in suppedaneo aliquantulum distantes à Celebrante & infra ipsum; vel sessum eunt, quemadmodum dictum est ad *Gloria in excelsis*. (u)

IX. Si tunc sedeant cum in choro cantatur *Et incarnatus est* è sedibus non surgunt sed detecto capite se mediocriter inclinant, at verò in tribus Missis die Natalis Domini & in Festo Annuntiationis Beatæ MARIÆ Virginis flectunt interim genua supra infimum gradum ex Parte Epistolæ atque se inclinant uti dictum est; (x) si sessum non iverint facta capitis inclinatione Cruci ex quo canitur *descendit de cælis* ad secundum gradum descendunt, flectuntqué genua in margine suppedanei inclinantes se ad prædictum *Et incarnatus est. &c.* versiculum; erigunt se postea, sique sessuri non sint, rursus in suppedaneum conscendunt, caput inclinant Cruci, stantque ut antea, si verò sessuri sint sed nisi post prædictum versum *Et incarnatus* decet ut paulò antequam cantetur *descendit de cælis*, descendant in planum ibique genuflectant super infimum gradum, & cantato *Et incarnatus est*; procedant ad sedem. [y]

X. Decantatô versiculô *Et incarnatus est* surgit si se-

(u) Merat. *supr.* & Bauldr. *supr.* (x) Cærem, Episc. *lib. 2. cap. 8.* Bauldr. & Merat. *supr.* (y) Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 6. num. 7. & 10.* Merat. *Part. II. Tit. VI. de Epist.*

si sedebat Diaconus, biretum in loco suo relinquit Celebrantem veneratur inclinatione mediocri, & gressus dirigit ad credentiam, ubi a Cæremoniario corporalis thecam seu bursam accipit, quam clausam & evectam quantum sublimes sunt oculi, ita defert ut ad faciem suam conversa sit apertura, & adveniens per pavimentum ad medium altaris genuflectit in infimo gradu, deinde ad altare conscendit, ubi Corporale expandit quomodo habetur Art. 2. n. 12. de Missa privata; genuflectit postea eodem in loco, ac per breviorem viam redit ad dextrum latus Celebrantis, quem ut in principio antequam sedeat biretum habens præ manibus, unà salutat cum Subdiacono, qui in loco suo stat interea erectus in pedes sicut & stare debuerunt cæteri inferiores Ministri, quoadusque reversus fuerit Diaconus & sederit; si non priùs sessum eat Celebrans quam post versiculum *Et incarnatus est*, Solito more antecedit eum Diaconus, qui postquam ministraverit biretum, laturus ibit bursam ad altare, ut supra. Ast si Celebrans remansurus sit penes altare, postquam cum illo ascendit in suppedaneum altaris Diaconus, genuflectit & recta se ad credentiam confert, ubi bursam recipit ac fert ad altare, uti dictum est, nec ab eo salutatur Celebrans, qui se cum Subdiacono tantisper removet in partem Evangelii ut ille Corporale commodiùs explicet & bursam in cornu Evangelii collocare possit, hîs actîs genuflectit Diaconus, & eo aliquantulum recedente in partem Epistolæ collocant se Celebrans & Subdiaconus uti priùs, sicque terni permanent erecti in pedes ad finem usque Symboli. [z]

(z) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 9. & lib. 8.* Merat. & Bauldr. *supr.*

XI. Dum ultimus canitur in choro Symboli versiculus, si sederint Celebrans & sacri ejus Ministri, erigunt se & ad altare revertuntur, sicuti post *Gloria in excelsis*: sed si steterint penes altare, tunc ambo prædicti Ministri genuflexione facta in suppedaneo ubi sunt, ad sua retrò post Celebrantem descendunt loca. (a)

XII. Si prætermittatur *Credo* bursam cum Calice Subdiaconus ad altare defert postquam cecinit Celebrans *Oremus* prout dicetur inferius.

XIII. Si adfuerit Presbyter Assistens, recedit ipse ubi primum data est benedictio, & se ad cornu Evangelii transfert extra suppedaneum, ubi facie versa ad altare præstolatur donec à Diacono inchoetur Evangelium, tunc vertit faciem ad illum & se deinceps gerit non secùs ac alii, muniens se signô Crucis in principio, inclinans se ad Nomen *JESUS*. ac genuflectens quando opus est versùs Crucem. Finitô Evangeliô permanet in eodem cornu, facie ad Crucem semiconversa, quoadusque Celebrans incensatus fuerit; postea suppedaneum conscendens, indicat illi quæ dicenda sunt, postquam intonatum est *Credo* si dicendum sit, recedit ad angulum altaris in cornu Evangelii, ubi quas Celebrans cum sacris Ministris, easdem inclinationes, genuflexiones & signa Crucis observat. Deinde si ad sedes eundum sit debitam altari reverentiam exhibet, prout & Celebrans, quem immediatè sequitur, reliqua præstans quomodo relatum est supra Art. 4. n. 10. Caput aperit & inclinat se mediocriter ad hæc verba *Et incarnatus est*: sed tecto manet capite & à sede non surgit interea dum Diaconus fert ad

(a) Merat. *supr.* Bauldr. *supr.*

altare

altare bursam, cumque circa finem Symboli Celebrans redit, illum per longiorem viam insequitur Presbyter Assistens, qui & à tergo ipsius debitam altari reverentiam exhibet in plano, ac è vestigio ad latus ejus partem anteriorem sublevat, vices gerens Subdiaconi, qui tunc in consueto suo permanet loco. [b]

ARTICULUS VII.

De Offertorio ad Præfationem usque

I. POst Symbolum vel si omitti debeat post Evangelium incensatus Celebrans intonat *Dominus vobiscum* & *Oremus* postea Offertorium legit, quod simul in choro cantatur. Ambo Ministri sacri inclinato capite ad hoc verbum *Oremus* extemplo suis in locis genuflectunt tum ad Celebrantis dextram Diaconus ascendit; & ad credentiam se confert Subdiaconus, ubi Cæremoniarius vel alteruter Acolythus in absentia Cæremoniarii expandit in humeris ejus velum majus, ita ut longior sit pars quæ pendet juxta latus dextrum, quam altera; postea Subdiaconus tollit ipse velum minus, quo tegitur Calix & illud complicandum tradit Acolytho secundo; [c] accipiensque nudum Calicem sinistrâ manu ad nodum admotâ, illum & ea quæ superposita sunt, tegit longioris, quod pendet ad dextrum suum latus extremitate veli, præterea manum desuper ponit ne quidquam eorum decidat, conscendit ita per gradus partis Epistolæ ad dextram Diaconi, nulla facta salutatione, dat ei ad manus super altare

(b) Bauldr. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 7. & 8. Castald. *lib.* 1 *sect.* 7. *num.* 10. (c) Gavant & Merat. *Part. II. Tit. VII, de Offert.*

L 5 Cali-

Calicem ſic velo majori coopertum, unde manum ſuam ſimul retrahit.

II. Subdiaconum ad cornu Epiſtolæ comitatur primus Acolythus pelvim deferens cum urceolis vini & aquæ abſque cooperculo ac manutergio, atque cum detectus eſt Calix pelvim in altari deponit. (d)

III. Diaconus accipiens una manu Calicem, alterâ verò velum ſuperpoſitum aufert, & pallam tollit quam juxta Corporale collocat, ita ut facile apprehendi poſſit; tum à manibus Subdiaconi patenam cum Hoſtia recipit, & illam cum conſuetis oſculis Celebranti porrigit, ambabûs manibûs, ita ut dextra ejus ſit verſus ſuperiorem partem & ſiniſtra verſus inferiorem; (e) ſolus autem Celebrans Hoſtiam offert ſolito more, quâ oblatâ patenam ponit ad dextram ſuam ſuper altare.

IV. Si Hoſtiæ plures conſecrandæ ſint, per Cæremoniarium vel in ejus abſentia per aliquem alium ad altare in ſacra pixide paulò ante deferuntur, quam illuc perveniat Subdiaconus; antequam patenam tradat Diaconus ſacram pixidem diſcooperit, ponitque ſupra Corporale, & eam dum fit oblatio Hoſtiæ tantiſper in altum tenet erectam, facta oblatione cooperit illam & in lapide conſecrato retrò poſt Calicem collocat, ita ut impedimento non ſit quominus commodè diſcooperiatur Calix. (f)

V. Traditâ Diacono patenâ, Subdiaconus purificatorio Calicem tergit quemadmodum Sacer-

(d) Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 8.* (e) Merat. *Part. II. Tit. VII. de Offert.* & Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 7. num. 2.* (f) Merat. & Bauldr. *ſupr.*

dos

dos in Miſſa privata, porrigit poſtea utrumque Diacono, qui manu ſiniſtra per nodum apprehendit Calicem non elevatum ſed ſuper altare poſitum [g] & in eum dextrâ infundit vinum ex urceolo ſibi porrecto à Subdiacono, quem urceolum hic ſiniſtra deinde recipit, moxque acceptam è manibus Acolythi ampullam aquæ aliquantulum evehit ut eam Celebranti oſtendat, dicens inclinato capite *Benedicite Pater Reverende* tunc Celebrans ſiniſtrâ ſuper altare poſitâ ſignum Crucis dextrâ efformat ſuper urceolum aquæ recitans orationem *Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c.* Subdiacono guttas aliquot aquæ in Calicem infundente, [h] poſtea uterque urceolus traditur Acolytho, & ab eo ad credentiam in pelvi defertur. Si quæ guttæ diſperſæ ſint in Calice, Diaconus eas vel jungit cum vino illud in gyrum ducens, vel extergit purificatoriô, Calicem deinde dextrâ infra nodum, ſiniſtrâ per pedem accipit, & ita Celebranti cum conſuetis oſculis porrigit; offertque cum illo, dextrâ ſuſtentans pedem Calicis, ſiniſtrâ verò dextrum Celebrantis brachium à principio ad finem Orationis *Offerimus Domine*, quam cum Celebrante recitat elevatis oculîs; (i) cooperit deinde pallâ Calicem.

VI. Imponit poſtea Diaconus manui nudæ Subdiaconi patenam, quam extremô velô ad latus ejus dextrum pendulò tegit; [l] patenam ſic ap-

(g) Merat. *Part. II. Tit. VII. de Offert.* (h) Rubr. Miſs. *9. de Offert.* & Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 7. num. 5.* (i) Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 8.* & Rubr. *Miſs. 9. de Offert.* (l) Rubr. Miſs. *ſupr.* Cærem. Epiſc. *ſupr.* & Bauldr. *part. 3. ſupr. num. 7.*

prehenſam

prehenſam ut pars ejus anterior converſa ſit ad ſe pectori ſuo admovet Subdiaconus quod ſemper præſtat dum ambulat aut aliquid agit, tum per breviorem viam deſcendit in ordinarium ſuum locum ad medium altaris ſupra pavimentum, ubi facta in ultimo gradu genuflexione, manet erectus in pedes, patenam velo coopertam ad ſe converſam uti dictum eſt, & elevatam tenens ad altitudinem oculorum ad hæc uſque Orationis Dominicæ verba *Et dimitte nobis debita noſtra*, [m] nullam illô temporis intervallô genuflexionem facit, niſi cum aſcenſurus eſt ad altare pro *Sanctus*, & dum ſit Elevatio.

VII. Quando non dicitur *Credo*, Subdiaconus poſt cantatum à Celebrante *Oremus* ante Offertorium, defert ad altare burſam cum Calice, tum Celebrans in partem Evangelii pauliſper recedit, & Diaconus ambabûs manibûs burſam accipit, ex qua extrahit Corporale, quod extendit in altari genuflectens ante & poſt; Celebranti deinde patenam porrigit, cæteraque cum Subdiacono peragit ut ſupra. [n]

VIII. Si venturus ſit populus ad oblationem accedat oportet immediatè poſt lectum à Celebrante Offertorium ante oblationem Hoſtiæ & Calicis, tuncque Celebrans cum ſuis Miniſtris qui in locis ſuis retrò poſt ipſum perſtiterunt, inclinatione facta Cruci deſcendit ad ultimum gradum vel etiam juxta locorum diſpoſitionem ad ipſos uſque cancellos, quo in caſu antequam recedat ab altari, debitum ei cum ſuis Miniſtris infra gra-

(m) Rubr. Miſs. 9. *de Offert.* Cærem. Epiſc. *ſupra* & Merat. *ſupr.* (n) Bauldr. *part.* 3. *ſupr. num.* 3.

dus

dus reverentiam exhibet, poſtea toto oblationis tempore Celebrans ſtat capite detecto, Diaconus ad dextram miniſtrat ei cum ſolitis oſculis pacis inſtrumentum; ad ſiniſtram Subdiaconus pelvim ſuſtinet; in quam munera ſua populus immittit; oblatione peracta non dat Celebrans benedictionem ſed illico ad altare conſcendit, exhibita prius ſi ex cancellis redeat ſalutatione altari debita, [o] Subdiaconus autem facta genuflexione pelvim defert ad Abacum ſeu credentiam. unde Calicem accipit, & ad altare uti dictum eſt transfert.

IX. Poſtquam abſolvit Celebrans *Veni Sanctificator &c.* thus immittit in thuribulum dicens *Per interceſſionem*, & ſuper illud benedictionem producens ad hoc verbum *benedicere*; acceptô deinde thuribulô è manibus Diaconi quomodo ſuperius ſpecificatum habetur art. 3. n. 4. thurificat [nulla genuflexione etiamſi expoſitum eſſet Sanctiſſimum Sacramentum præmiſſa] Calicem & Hoſtiam ſimul ter ducens thuribulum deſuper in formam Crucis, ter quoque circumcirca, bis nempe à dextra ſua ad lævam & ultimò à læva ad dextram. Diaconus interim dextra manu pedem Calicis præmit, ſiniſtrâ verò elevat circa humeros poſteriorem caſulæ partem, jam verò inter hanc thurificationem recitat Celebrans Orationem ſequentem; quam ſic dividit; ad primum ſignum Crucis profert *Incenſum iſtud*, ad ſecundum *à te benedictum*, ad tertium *aſcendat ad te Domine*, ad primum circulum *& deſcendat ſuper nos*, ad ſecundum *Miſericordia*, & ad tertium *tua*; tum debitam Celebrans exhibet altari reverentiam, Dia-

(o) Bauldr. *ſupr. num.* 10.

conus

conus verò genuflexione facta Calicem à medio altaris removet in partem Epiſtolæ, ita tamen ſi fieri queat, ut illum extra Corporale non transferat. [p] Crux à Celebrante poſtea triplici ductu thuriſicatur, quâ ſic thuriſicatâ reponit Diaconus Calicem in medio altaris, & ſecundo genuflectit cum Celebrante, qui deinde Reliquias ſi adſint incenſat, & mox altare ſicut in principio Sacri; dicens interea hanc in Miſſali contentam Orationem *Dirigatur Domine Oratio mea &c.* cujus verba ad quemlibet thuribuli ductum ita diſtribuit, ut poſſint per totam thuriſicationem ſufficere, ſubjungit in fine reddens thuribulum Diacono *Accendat in nobis &c.* ſtatque verſa facie ad illum donec ſit incenſatus ab eo, in hac autem occaſione à Cæremoniario & Thuriferario ea omnia obſervantur quæ ſuperius annotata ſunt de priori thuriſicatione art. 3. num. 4. ſi hoc ſolum excipiatur, quod accedentes pro benedictione incenſi genuflectunt in plano eo tempore quô Subdiaconus receptâ patenâ genuflectit ſuper infimum gradum in medio altaris. [q]

X. Celebrantem incenſante Diacono, unà proficiſcuntur ambo Acolythi in cornu Epiſtolæ, dignior præ manibus habens complicatum manutergium, alter verò pelvim in dextra, & urceolum aquæ in ſiniſtra, qui ſtatim atque receſſit cum Thuriferario Diaconus, Celebranti appropinquant, & ſe profundè inclinant inſalutato altari, à minus digno infunditur aqua, & à digniore ſupra digi-

(p) Rubr. Miſs. 10. *de Offert.* Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. 23.* & Merat. *Part. II. Tit. VII. de Offert.* Bauldr. *part. 3. ſupr. num. 12.* (q) Bauldr. *ſupr. num. 8.*

tos

tos extenditur manutergiū ambo ſemioſculantur ante & poſt, ille urceolum, hic verò manutergium cujus alterū finem nunquam dimittit, quando illud Celebranti porrigit; facta lotione, ſalutant illum ſicuti in acceſſu, redeuntque ad credentiā, ubi urceolos in pelvi reponunt, & manutergiô tegunt, ut ante: Sacrum interim proſequitur Celebrans more conſueto, & lentè ut Diaconus chorum incenſet & ad locum ſuum revertatur paulò ante *Sanctus*; per totum illud tempus ſtat Cæremoniarius à latere ſiniſtro Celebrantis, ad vertenda quando neceſſe eſt folia; ad *Orate fratres* reſpondet Subdiaconus *Suſcipiat* pectori ſuo admotâ patenâ. [r]

XI. Thuriſicato Celebrante, procedit Diaconus ad incenſandum chorum, ambabûs manibûs thuribulum portans & ambulans à dextris Thuriferarii, qui præcedit tantiſper eum & naviculam defert ad miniſtrandum ſi opus fuerit incenſum; genuflectant ambo in plano à latere dextro Subdiaconi, & in chorum intrantes ſalutant mediocri inclinatione Clerum omnem, à quo in pedes erecto, ac detecto capite reſalutantur, [s] tum progreditur Diaconus per partem Epiſtolæ ad capparios thuriſicandos; quemlibet eorum duplici ductu incenſat cum inclinatione mediocri ante & poſt. Thuriſicat continuò chorum in parte Epiſtolæ, quem priùs inclinatione veneratur communi, cumque ad finem pervenit, vertit ſe ſiniſtrorſum, & genuflexum venit retrò poſt capparios, qua facta genuflexione ſalutat & eôdem modô incenſat partem Evangelii, poſtea vertit ſe dextrorſum & utrinque chorum ſalutat, incipiendo à parte Epi-

(r) Merat. *ſupr. num. 16.* (s) Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 7.*

ſtolæ

stolæ quam prius incensavit; chorô ita salutatô confert se ad dextram Subdiaconi, ubi genuflexione facta bis illum thurificat cum inclinatione ante & post, Subdiaconus interim versa tunc ad Diaconum facie, patenam tenet pectori suo innixam, mox Thuriferario reddit Diaconus thuribulum, & in locum suum ascendit, ubi facta genuflexione vertit se ad dextram, ut duplici ductu incenseetur à Thuriferario, quem se mediocriter inclinantem ante & post, inclinato tantùm capite resalutet; [t] incensat postea Thuriferarius utrumque Acolythum duplici eoque continuo ductu, cum mutua capitis inclinatione; si è Sanctuario ubi est, populum possit facile videre, ter illum thurificat primo ad medium, secundo ad dextram populi, seu versus latus Epistolæ, tertio ad ejus sinistram, seu versus latus Evangelii, (u) non sine congruis inclinationibus, facta deinde genuflexione altari, salutatôque chorô si præterierit illum, sacristiam petit, ubi in thuribulum incensum ponit, datque signum accendendi pro Elevatione faces.

XII. Advert. I. Secundum Cæremoniale Episc. lib. 2. cap. 23. in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis Dignitates & Canonicos juxta ordinem suum singulos duplici ductu thurificari à Diacono, inclinante se ante & post, quemadmodum numero superiori dictum est de capppariis; post illos incensat Diaconus beneficiatos inferiores uno tantùm ductu, cum inclinatione cunctis communi, continuoque cæteros omnes, in aliis verò Ecclesiis observantur erga Ministros altaris & capparios,

(t) Bauldr. *part. 3. supr.* & Gavant. *Part. II. Tit. VII. de Offert.* (u) Gavant. & Merat. *supr.*

quæcun-

quæcunque relata sunt superius: sed quantum ad cæteros è Clero servanda est laudabilis locorum consuetudo, in quorum bene multis præter superiorem & viros alios si adsint consideratione dignos qui duplici ductu post capparios incensantur; reliqui omnes nonnisi modô supra memoratô, absque interruptione thurificantur; ut incensatio chori peragi possit ante Præfationem. Vide quæ infra referuntur part. 4. Art. 6. de thurificatione.

XIII. Advert. II. Quod si adfuerit Presbyter Assistens ad ipsum spectet indicare Celebranti Offertorium & cum thurificatur altare, in cornu Evangelii; tollit ipse Missale, postea reponit, ante & post exhibens altari competentes reverentias; vertit se ad Diaconum è choro reversum, ut ab eo ante Subdiaconum incenseetur cum inclinatione reciproca ante & post, (x) debet autem in hoc casu Cæremoniarius Diaconum comitari ad incensationem chori, ipsumque post reditum incensare postquam ad locum suum conscenderit; deinde reddito thuribulo ad manus Thuriferarii, recipit se àd credentiam, & se collocat infra Acolythos ubi thurificatur sicut illi.

ARTICULUS VIII.
De Præfatione usque ad Dominicam Orationem.

I. TEmpore Præfationis stantes ambo sacri Ministri retrò post Celebrantem [y] inclinant

(x) Bauldr. *Part. 1. cap. 3. num. 8.* (y) Rubr. Miss. 11. *de Offert.* Merat. *Part. II. Tit. VII. de Offert.*

se,

ſe, quando & ſicut ipſe, ſed ante duo ultima verba Præfationis facta ſuis in locis genuflexione, ad ejus latera conſcendunt, Diaconus ad dextram, Subdiaconus ad ſiniſtram; ubi cum illo inclinati ter dicunt *Sanctus*, *&c.* quod ſimiliter faciunt in ſuis locis inferiores Miniſtri, ad *Benedictus* erigunt ſe, & ſignô Crucis ſe muniunt omnes, exceptô Subdiacono, qui per totum hoc tempus patenam pectori ſuo admotam tenet, foliumque libri antequam abeat vertit; tum facta genuflexione recedunt ſacri Miniſtri, Subdiaconus quidem locum ſuum conſuetum infra gradus petit, Diaconus verò transfert ſe ut libri vertat folia ad Celebrantis ſiniſtram, quô perveniens genuflectit iterum, ſed non debuit in medio genuflectere, [z] quod ſemper obſervant ſacri Miniſtri quoties ab alio ad aliud Celebrantis latus pertranſeunt prout annotatum habetur Art. 3. num. 9.

II. Cæremoniarius facta genuflexione à latere ſiniſtro Celebrantis tum, cum ſacri Miniſtri circa finem Præfationis in locis ſuis genuflectunt, ſacriſtiam petit ſalutatô Clerô ſi chorum prætergrediatur, ſatagitque ut brevi parata ſint omnia pro Elevatione: Finita Præfatione *Sanctus* in choro ad *Benedictus* excluſivè canitur; (a) atque interim major campana Eccleſiæ ſi ferat conſuetudo pulſatur, vel tantummodo altaris campanulam

(z) Merat *ſupr.* & Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 7. num. 21. & 22.* (a) Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 8.* Gavant & Merat. *ſupr.*

dignior

dignior Acolythus quatit, ut in Miſſis privatis dum à Celebrante dicitur *Sanctus.* (b)

III. Ambo deinde Acolythi ſalutatô convenienter altarî, nec non & chorô ſi tranſeant ante illum, conferunt ſe in ſacriſtiam faces inde relaturi, nec tunc cereos pro Elevatione in Miſſis privatis deſtinatos accendunt, mox è ſacriſtia revertuntur ad altare, præeunte Cæremoniario à ſiniſtris Thuriferarii, dextrâ thuribulum cum incenſo impoſito, naviculam ſiniſtrâ deferentis quatuor iſti ſimul linea recta in ingreſſu ad chorum diſpoſiti, venerantur more ſolito Clerum, quo ſalutato procedunt eodem ordine genuflexuri ſupra pavimentum à tergo Subdiaconi; tum genua flectunt, Cæremoniarius quidem & Thuriferarius in plano ad cornu Epiſtolæ ſicut in principio Miſſæ, ambo verò Cæroferarii ex oppoſito amborum angulorum altaris, vel ex utraque parte in plano, atque ſi opus fuerit pro majori communicantium commodo, facie ad ſe invicem converſa. (c)

IV. Quando choro interſunt multi numero Clerici convenientius eſt, ut à duobus illorum, quam ab Acolythis faces adferantur; ſique pro ſolemnitate Feſti, quatuor vel ſex deferendæ ſint, Clerici totidem requiruntur, quorum minus digni dignioribus præeunt. Tranſeuntes ante Clerum omnes illum ſalutant bini & bini poſt Cæremoniarium & Thuriferarium, deinde ut appropinquant altari recedunt ab invicem nulla facta genuflexione, a-

(b) Gavant & Merat. *ſupr.* (c) Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 8.* Merat. *Part. II. Tit. VIII. de Canon.* & Bauldr. *part. 3. ſupr. art. 8. num. 2.*

lius

lius ad hanc, alter ad illam partem, ita se recipiunt, ut medium occupent digniores, tum facta simul ab omnibus altari genuflexione; vel in plano flectunt genua lineam rectam efformantes, vel cornu altaris petunt uti dictum est, & tunc digniores debent esse altari propinquiores, infra tamen Cæremoniarium atque Thuriferarium.

V. Qui choro intersunt decantato *Sanctus* in genua procumbunt, (d) sicut & Acolythi si steterint penes credentiam cæroferariorũ adventum non expectantes; interea more solito Celebrans prosequitur Sacrum. Ad hæc verba *quam oblationem* genuflectit Diaconus & à latere sinistro Celebrantis transit ad dextrum ubi flectit & eodem tempore Subdiaconus in infimo altaris gradu in suo loco [e] videlicet in medio post Celebrantem, pectori patenam fulciens donec erigatur. Dum elevantur Hostia & Calix elevat sinistrâ Diaconus inferiorem partem Celebrantis casulæ, quam nec ante, nec post exosculatur; Hostiâ altari reposita & à Celebrante adorata erigit se cum eo Diaconus ad Calicem discooperiendum, moxque in genua iterum provolvitur, quo tempore fit elevatio Calicis, quem postea erectus pallâ tegit, antequam genuflectat Celebrans, quo cum & ipse genuflectit; ad partem deinde Evangelii redit, ubi secundo genuflectit, ac deinceps folia libri, quando necesse vertit; munit se signô Crucis quando & Celebrans inclinat se sicut ille præterquam ad *supplices te rogamus*, & ad Orationem ante Communionem de quibus mentio infra fiet.

(d) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. Bauldr. *part.* 3. *supr. num.* 7. (e) Rubr. Miss. 8. *de Canon. Miss.* Gavant & Merat. *supr.*

VI.

VI. Si fuerit in altari sacra Pixis cum Hostiis consecrandis, Diaconus cum pervenit ad latus dextrum Celebrantis genuflectit primum, illam deinde discooperit, collocatque à latere Calicis penes màjorem Hostiam, quam cum Celebrans in altari reposuerit post Elevationem, surgit extemplò Diaconus, & sacram Pixidem tegit, suôque locô reponit, (f) genuflectens postea cum Celebrante, qui aliquamdiu moratur, ut Diacono det tempus supradicta peragendi, discooperit postea Calicem, & in reliquis se gerit Diaconus ut supra:

VII. Thuriferarius immisso paulò ante Consecrationem in thuribulum incensô vel per Cæremoniarum si adfuerit, vel in illius absentia per se ipsum absque ulla benedictione, thurificat genibûs flexis Hostiam & Calicem ter hanc ter & illam dum elevantur, profundè se inclinans ante & post; (g) pulsat interim vel dignior Acolythus vel Cæremoniarius campanulam, nihilque in choro canitur, sed in silentio Sanctissimum adoratur Sacramentum; quanquam ex Cæremoniali Episcoporum nihil vetet organisludere tono gravi atque devoto. [h]

VIII. Quando erigit se Celebrans à genuflexione post Elevationem Calicis, surgunt omnes cum eo & in choro canitur *Benedictus qui venit* [i] Cæroferarii atque Thuriferarius unà salutantes ut ante, altare primùm, postea chorum, faces & thuribulum deferunt in sacristiam, vel in alium

(f) Gavant. & Merat. *supr.* (g) Rubr. Miss. 8. *de Canon. Miss.* Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. (h) Cærem. Episc. *lib. I. cap.* 28. (i) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. Rubr. Miss. 8. *de Canon. Miss.*

 oportu-

oportunum locum. In quibus Missis administranda est Clero vel populo sacra Communio; nec non in quibus omnes in choro genua flectunt tempore Orationum, juxta ea quæ supra dicta sunt Art. 4. num. 9. permanent in genua provoluti suis in locis cæroferarii cum facibus accensis, quousque peracta sit Communio, solusque Thuriferius refert cum debitis reverentiis thuribulum. (l)

IX. Ad hæc *Per quem omnia &c.* transfert se Diaconus ad dextrum latus Celebrantis cum requisitis genuflexionibus. sed Calicem prius detegit, quam secundo genuflectat, dumque à Celebrante signa Crucis cum Hostia producuntur, ad hæc verba *per ipsum cum ipso* dextræ manus digitos duos applicat Diaconus pedi Calicis, [m] nec caput inclinat ad *omnis honor & gloria*, sed Hostia sacro Corporali reposita, cooperit Calicem, cum Celebrante genuflectit, statque à dextris ejus ad initium usque Orationis Dominicæ. (n)

X. Confert se Cæremoniarius ad latus sinistrũ Celebrantis, cum ab eo jamjam recessurus est Diaconus ad prædicta verba *Per quem hæc omnia &c.* ita se gerendo ut in infimo gradu ante medium altaris genuflectat quo tempore genuflectit in cornu Evangelii Diaconus, ut transeat ad cornu Epistolæ, atque ut ad altare perveniat ipse Cæremoniarius ad denuo genuflectendum unà cum Celebrante & Diacono, statim ac discoopertus Calix fuerit: (o) eundem locum occupat usque ad *Pax Domini &c.* Nisi eum deserere teneatur

(l) Rubr. Miss. *supr.* Cærem. Episc. *supr.* (m) Cærem. Episc. *lib. I. cap. 9.* (n) Rubr. Miss. 4. *de Canon. post Consecrat.* (o) Merati *Part. II. Tit: IX. de Canon. post Consecrat. part. 3. supr. art. 8. num. 10.*

pro-

propter velum à Subdiacono in fine *Pater* recipiendum, si defuerit alter qui recipiat illud.

XI. Si adfuerit Presbyter Assistens stat penes librum usque post *Agnus Dei* folia vertens, Celebranti dicenda indicans, cum illo, quando requiritur genuflectens, caput inclinans, signa Crucis producens, pectusque percutiens ad *Nobis quoque peccatoribus;* recedit tamen ulterius in partem Evangelii, ut det locum Subdiacono ad *Sanctus* & *Agnus Dei* quæ cum Celebrante & sacris Ministris recitat inclinatus mediocriter Cruci quemadmodum & illi, flectit genua paulò ante Consecrationem in eodem latere Celebrantis nec se citra necessitatem aliquam nisi post elevationem Calicis erigit, occupat interim Diaconus Celebrantis latus dextrum, stans aliquantulum à tergo ipsius à *Sanctus* usque ad *Pater*, juxta Rubricas Missalis Romani. [p]

ARTICULUS IX.

De Oratione Dominica & sequentibus usque ad Antiphonam quam Communionem vocant.

I. QUando à Celebrante inchoatur *Pater noster &c.* genuflexione facta transfert se Diaconus ad locum suum post Sacerdotem, stat ibi ad hæc usque verba *& dimitte nobis debita nostra*, (q) tum & ipse & Subdiaconus quisque in loco suo genuflectunt, amboque postea conscendunt ad cornu Epistolæ ubi Diaconus patenam sibi à Sub-

(p) Rubr. Miss. 11. *de Offert. usque ad Canon.* (q) Rubr. Miss. 8. *de Orat. Dom.*

 diacono

diacono ſupra altare porrectam purificatorio tergit, eamque ambabûs manibûs per utrûque latus apprehenſam oſculatur in limbo ſuperiori & offert Celebranti oſculando manum ejus, dum chorus reſpondet *ſed libera nos à malo* (r) Subdiaconus interim traditâ Diacono patenâ, impoſitum ſibi velū ex humeris deponit in manibus Thuriferarii, qui facta cum Subdiacono genuflexione defert illud complicandum ad credentiam, Subdiaconus verò locum ſuum poſt Celebrantem repetit, quô perveniens non debet iterum genuflectere. (s)

II. Cum ſuper ſe Celebrans ſignum Crucis patênâ producit, illô quoque ſe muniunt cuncti quibus non ſunt occupatæ manus altaris Miniſtri, diſcooperto poſtea Calice genuflectit cum Celebrante Diaconus, & poſtquam immiſſa eſt in Calicem particula rurſus illum cooperit atque genuflectit iterum cum Celebrante & Subdiacono, qui Subdiaconus ad aliud Celebrantis latus debuit ad hæc verba *Pax Domini* aſcendere poſt factam in loco genuflexionem; [t] tùm more ſolito dicit Celebrans *Agnus Dei* cum ſacris Miniſtris hinc inde ſtantibus pectus percutientibus ac ſe Sanctiſſimô Sacramento inclinantibus non ſecus ac ille, cantatur interim in choro *Agnus Dei* deinde Antiphona Communio dicta, dummodo pretioſum Sanguinem jam ſumpſerit Sacerdos, nemoque ſit ad ſacram Euchariſtiam acceſſurus; in hoc caſu ſedet Clerus per totam hanc Antiphonam capite tecto.

(s) Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. 9.* Rubr. Miſs. *ſupr.* & Merat. *Part. II. Tit. X. de Orat. Dom.* (t) Rubr. Miſs. *ſupr.* Merat. *ſupr.* & Bauldr. *part. 3. ſupr.* (u) Rubr. Miſs. *ſupr.* Merat & Bauldr. *ſupr.* Caſtaldus *lib. 1. ſect. 7. cap. 1. num. 19.*

III.

III. Poſtquam abſolvit Celebrans *Agnus Dei* genuflectit Subdiaconus ac mox in conſuetum locum ſuum ſe recipit, ubi manet deinceps erectus in pedes. Diaconus eodem tempore provolutus in genua à latere dextro Celebrantis junctîs manibus pacem præſtolatur ſub finem primæ Orationis, cum altare Celebrans oſculaturus eſt erigit ſe Diaconus & cum illo altare oſculatur extra Corporale non ponendo manus ſuper illud, deinde admotâ ad maxillam Celebrantis maxillâ ſuâ ſiniſtrâ recipit ab eo oſculum pacis cum inclinatione mediocri ante & poſt, (x) quod fit hôc modô, imponit Celebrans manus ſuas brachiis Diaconi dicitque illi *Pax tecum*, Diaconus verò ſupponit ulnîs Sacerdotis manus ſuas reſpondens *Et cum Spiritu tuo*; qui modus agendi ab aliis omnibus ſervandus eſt in danda & recipienda pace. [y] Poſthac in eodem loco Diaconus facta genuflexione ante Sanctiſſimum Sacramentum deſcendit in planum ad dextram Subdiaconi, cui pacem dat modo ſupra memorato inclinando ſe non ante ſed poſt; Subdiaconus verò illam recipit inclinando ſe ante & poſt; mox aſcendit Diaconus ad librum, quo perveniens genuflectit ac dein Celebranti miniſtrat, nec tamen inclinat ſe, ſicut ille tempore Orationum *Domine JESU*; & *Perceptio &c.*

IV. Recepta pace Subdiaconus genuflectit in eodem loco, poſtea cum Cæremoniario vel in ejus abſentia cum Thuriferario ipſum parumper antecedente confert ſe in chorum quem non ſa-

(x) Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. 23. & lib. 2. cap. 8.* Rubr. Miſs. *ſupr.* (y) Merat. *Part. II. Tit. X. de Orat. Dom.* & Bauldr. *part 3. cap. 11. art. 8. num. 13.*

 lutat,

lutat, ibique dat osculum pacis, occupanti primum locum uniuscujusque Ordinis, illum salutando solummodo post, non ante, à dignioribus incipiendo ut fusiùs infra dicetur part. 4. art 7. Postea removens se tantisper ab eo loco ubi pacem ultimariò dedit circa medium, salutat chorum inclinando se primum ad partem Epistolæ deinde ad partem Evangelii per quam redit ad altare, quo perveniens genuflectit in medio supra pavimentum pacemque suo dat comiti, [z] qui daturus est illam cæteris inferioribus Ministris, & quidem iis tantùm qui stant in Sanctuario, non autem iis qui genibus nituntur. Si pacis instrumentum alicui sit deferendum ea observat quæ inferius notantur Art. 14. n. 17.

V. Interea Subdiaconus genuflectens iterum in ultimo gradu ad dextram Celebrantis ascendit, illuc perveniens non genuflectit denuò nisi tunc Celebrans ipse genuflecteret, inclinat se mediocriter Sanctissimo Sacramento, & pectus sicut Diaconus percutit ad *Domine non sum dignus;* dumque Sanctissimam Hostiam & pretiosissimum Sanguinem sumit Sacerdos, profundè inclinantur ambo Ministri versus altare, [a] sed non inclinant se illo temporis intervallo quod ab una sumptione ad aliam elabitur: eadem suis in locis observant Ministri inferiores cæroferariis exceptis. Discooperit Subdiaconus quando necesse Calicem, atque cum Celebrante genuflectit sicut etiam Diaconus.

VI. Si Subdiaconus nondum sit ex choro redux

(z) Rubr. Miss. 8. *de Orat. Dom.* Merat. & Bauldr. *supr.* (a) Merat. *supr.* Bauldr. *part.* 3. *supr, num.* 21. Rubr. Miss. *supr.*

postquam

postquam sumptum fuerit à Celebrante pretiosissimum Corpus Domini Nostri JESU Christi, genuflexione facta transit Diaconus ad dextram Celebrantis, ac detecto Calice, cum incipit Celebrans disjungere manus genuflectit cum illo, deinde porrigit ei purificationem & ablutionem, sed advenienti Subdiacono locum cedit Diaconus illumque residuum Officii sui peragere finit, rediens tum temporis ad librum cum consuetis genuflexionibus in utraque parte [b] sed si Clero vel populo sacra distribuenda foret Eucharistia; perstaret tunc Diaconus ad dextram Celebrantis & ascenderet Subdiaconus facta genuflexione ad sinistram ubi ambo cum aliis ea observarent quæ infra præscribuntur parte 4. art. 8. de Communione Generalî.

VII. Quando sumpturus est Celebrans pretiosum Christi Domini Sanguinem, tunc dignior Acolythus, vel eo absente Thuriferarius impositos pelvi urceolos defert ad cornu Epistolæ nulla tunc genuflexione facta illosque alternatim Subdiacono porrigit, & hic vinum in Calicem sibi à Celebrante porrectum pro purificatione infundit, postea recedit Subdiaconus ad angulum altaris in cornu Epistolæ, ubi sinistra manu recipit ab Acolytho urceolum aquæ, dextrâ verò vinum infundit & aquam, quapropter urceolum vini statim ut illo est usus, reddit Acolytho. Cæterum debitas Sacerdoti reverentias exhibet ante & post, & urceolos duntaxat quasi osculatur uti dictum est, ubi de Ministro Missæ privatæ; [c] locum postea

(b) Bauldr. *part.* 3. *supr. num.* 23. Merat. *supr.* (c) Merat. & Bauldr. *supr.*

mutat

mutat cum Diacono, qui librum clauſum pulpito ſuffultum transfert in cornu Epiſtolæ, ambo ſimul tranſeunt & alius poſt alium genuflectunt in medio tantum. (d) Defert eodem tempore ſecundus Acolythus velum Calicis plicatum ex credentia ad altare in cornu Evangelii, non prætermiſſa genuflexione ad medium altaris, tam eundo quam redeundo. [e]

VIII. Diaconus apertô librô ad locum Antiphonæ quæ Communio appellatur, indicat eam Celebranti, & ſe retrò poſt eum recipit ad ſecundum gradum; Subdiaconus verò cum ad cornu Evangelii pervenit, tergit purificatorio Calicem, quem illô primùm, deinde patenâ & pallâ tegit moxque Corporale componit & inſerit thecæ ſeu burſæ, poſtea Calicem cooperit velô atque theca ſeu burſa ſuperpoſita jllum ſiniſtra manu per nodum apprehendit, & dextram ſuperimponens, fert ita per breviorem viam ad abacum ſeu credentiam, genuflectens duntaxat ad medium in ultimo gradu (f) redit poſtea & collocat ſe retrò poſt Diaconum, ubi genuflectit ſi ad medium altaris pervenerit, ſecus ſi ad partem Epiſtolæ.

IX. Quando adeſt Presbyter Aſſiſtens ſtatim Poſt *Agnus* D*EI* genuflectit cum ſacris Miniſtris qui loca ſua repetunt, dum ille per breviorem viam confert ſe ad dextram Celebrantis, ubi flexis genibûs pacem expectat quam poſt primam Orationem recipit modô ſuprà conſcripto num. 3. dat illam primùm Diacono, deinde choro ad-

(d) Bauldr. *part. 3. cap. 11. art. 9. num. 1. & 2.* Merat. *Part. II. Tit. XI. de Comm. & Orat.* (e) Merat. *ſupr.* Bauldr. *part. 3. ſupr. art. 8. num. 25.* (f) Rubr. Miſs. *de Comm.* Gavant & Merat. *ſupr.*

ſtanti-

ſtantibus, ac demum comiti ſuo, poſtea conſcendit ad Celebrantis ſiniſtram; & in his omnibus ea ſedulò ſervat quæ ſupra num. 4. continentur. [g] Diaconus interea accepta pace à Presbytero Aſſiſtente genuflectit ſuo in loco, poſthac in planum ex parte Epiſtolæ deſcendens pacem dat Subdiacono, tum ambo genuflexione facta in infimo gradu ad latera Celebrantis, puta Diaconus ad ſiniſtrum, Subdiaconus ad dextrum aſcendunt. Jam verò Presbyter Aſſiſtens ex choro reverſus, quo tempore infra genuflectit ut aſcendat ad cornu Evangelii, genuflectunt etiam ſacri Miniſtri, Subdiaconus quidem ut ad locum ſuum ordinarium deſcendat, Diaconus verò ut ſe transferat ad dextram Celebrantis, cui purificationem & ablutionem in hocce caſu miniſtrare debet ſecundum Cæremoniale Epiſc. lib. 1. cap. 9. & 10. Si tamen purificationem miniſtrare jam incepiſſet Subdiaconus, tum cum Presbyter Aſſiſtens ad librum redit, pergeret ille, transferente ſe Diacono ad conſuetum ſuum locum: poſthac in cornu Epiſtolæ librum per breviorem viam transfert Presbyter Aſſiſtens qui tranſeundo per medium debitam reverentiam exhibet altari, genuflectentibûs eodem tempore ſacrîs Miniſtrîs retrò poſt ipſum, tum aſcendit Subdiaconus ad cornu Evangelii, ut Calicem adornet, Diaconus verò Celebrantem ſequitur ad cornu Epiſtolæ non aſcendens ad dextram illius, ac denique presbyter Aſſiſtens penes librum permanet ſicut ad Introitum.

(g) Bauldr. *part. 1. cap. 3. num. 9.*

ARTI-

ARTICULUS X.

Ab Antiphona Communio dicta, ad Sacri usque finem.

I. CElebrans in cornu Epiſtolæ Communione perlecta progreditur ad medium altaris, Diacono qui ſtabat in ſecundo gradu ipſum ſequente, oſculatus altare vertit ſe & cantato *Dominus vobiscum* ad librum illico redit Orationem vel Orationes cantaturus, circa quas obverſat ipſe, & cæteri omnes, quæ ſuperius dicta ſunt de Orationibus ante Epiſtolam.

II. Tempore Quadrageſimæ in Miſſis ferialibus poſt ultimum *Oremus* dextrorſum ſe vertit ad populum Diaconus nulla facta genuflexione, canitque junctîs manibûs & oculîs demiſsîs *Humiliate capita veſtra DEO.* tum per eandem partem extemplò vertit ſe ad altare, dumque Celebrans hanc canit Orationem, cuncti præter ipſum inclinant caput. [h]

III. Oratione vel Orationibûs penitus decantatîs claudit librum Cæremoniaris, Celebrans verò quem alius retrò poſt alium ſequuntur Miniſtri, confert ſe ad medium altaris, quod exoſculatus cantat ſolito more *Dominus vobiscum.* Nec adjicit *Ite Miſſa eſt.* [i] ſed ad populum converſus manet quoadusque decantatum illud fuerit à Diacono, qui eam ob rem genuflexione facta vertit

(h) Merat. *Part. II. Tit. XI. de Comm. & Orat.* Bauldr. *part. 3. cap. 11. art.* 9. *num. 4.* (i) Gavant. & Merat. *ſupr.* Bauldr. *part. 3. ſupr. num. 3.*

ſe

ſe ad populum, ſtat interim Subdiaconus verſa facie ad altare abſque inclinatione: ſi loco *Ite Miſſa eſt.* dicendum ſit *Benedicamus Domino* id cantat Diaconus facie verſa ad altare ſtatim ut cecinit Celebrans *Dominus vobiscum.*

IV. Poſt *Ite Miſſa eſt* vel *Benedicamus Domino* recedit tantiſper Diaconus in partem Epiſtolæ flectitque genua in margine ſuppedanei cum Subdiacono qui ad ejus ſiniſtram tunc temporis aſcendit nulla facta in loco ſuo genuflexione; poſtquam adjecit chorus *DEO gratias.* dicit Celebrans *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* Benedictionem deinde impertitur non ſecus ac in Miſſis privatis; inclinant ſe interim in locis ſuis ſignoque Crucis ſe muniunt omnes & ſinguli. (l) Cuncti altaris Miniſtri nituntur tunc genibus, ſed erecti ſunt in pedes qui choro interſunt, niſi flexîs genibûs fuerint tempore Orationum, in hoc enim caſu in genua provoluti deberent eſſe illo adhuc tempore quo datur benedictio.

V. Data benedictione ſurgunt quamprimum omnes ſacri Miniſtri accedunt ad cornu Evangelii ubi gerunt ſe ſic ut ad primũ Evangelium; quæ ſigna, Crucis ſuper ſe Celebrans efformat eadem dextro pollice producunt omnes tam qui choro interſunt quam qui altari deſerviunt; cumque dicit Celebrans *Et Verbum Caro factum eſt.* vel alia profert quæ genuflexionem poſtulent, genuflectit ipſe cum ambobus ſacris Miniſtris ad librum, cæteri verò ad Crucem è locis ſuis non exeuntes. Si

(l) Gavant & Merat. *Part. II. Tit. XII. de Benediction. in fine Miſs.* Bauldr. *ſupr. num. 5.*

opus

opus fuerit pro majori Celebrantis commodo, ut Evangelii chartam sustentet coram eo Subdiaconus, hanc debet utraque manu tenere, parte illius infima altaris innixa eamque cum genuflectit dimittere. (m)

VI. Si aliud ab Evangelio Sancti Joannis legendum occurrat Evangelium, statim ac à Diacono decantatum fuerit *Ite Missa est*, *vel Benedicamus Domino* genuflectit in loco suo Subdiaconus, & ascendens ad cornu Epistolæ librum clausum accipit unà cum pulvillo vel pulpito, confert se postea ad sinistram Diaconi, ubi flexìs genibûs benedictionem recipit nullô tamen signô Crucis productô, fert deinde librum ad cornu Evangelii, illumque eo in loco ubi legendum est aperit, respondet in fine *Deo gratias*, [n] & librum clausum relinquit in altari.

VII. Perlectô Evangeliô redit Celebrans ad medium altaris, ubi medius inter ambos suos Ministros caput cum illis inclinat Cruci, terni postea descendunt infra gradus altaris vertentes se Celebrans cum Subdiacono dextrorsum, Diaconus verò sinistrorsum, Cæremoniarius interea vel eo absente Thuriferarius acceptìs biretìs procedit cum Acolythis candelabra sua ferentibus ad medium altaris in planum, quo pervenire nituntur simul ac Celebrans & ejus sacri Ministri, ibique in lineam rectam hinc & illinc dispositi altare venerantur omnes convenienti salutatione, ut in principio Missæ; bireta deinde distribuit Cæremoniarius porrigendo primum Celebrantis biretum Diacono,

(m) Gavant & Merat. *supr.* (n) Merat. *supr.* Bauldr. *part.* 3.

cono, deinde alia duo sacris Ministris, denique unà se vertunt omnes & quo ordine venerunt, eodem redeunt in sacristiam; [o] incedente tunc Thuriferario manibûs junctis; si intra vel ante chorum prætereant, illum salutant ab ingressu, vel ex quo satis propinqui sunt, ut videantur ab adstantibus. Si tamen Clerus & altaris Ministri simul ac serie non interrupta advenerint ex sacristia, ad eam eôdem modô revertentur, non se mutuò salutantes dum ex choro proficiscuntur sed solùm cum in sacristiam perveniunt.

VIII. Universi ex Clero in sacristiam intrantes Crucem venerantur bini & bini ac mutuò se salutant, postea exuit se Clerus superpelliceis. Quod ad Celebrantem attinet & ejus Ministros sive sequântur immediatè Clerum sive separatim veniant, accedunt ipsi ad Crucem sacristiæ, & coram illa ordinant se ex utraque parte in lineam rectam adeò ut digniores medium locum occupent & sacris Ministris propinquiores sint, & dum Celebrans advenit ad Ministros, omnes salutant Crucem, deinde Celebrantem eô modô ut fecerunt exeundo pro Missa ex sacristia, qui eis congrua capitis inclinatione respondet: tum Ministri sacri adjuvant Celebrantem ad deponenda sua paramenta, & quæ osculanda sunt, ei osculanda exhibet Diaconus, qui cum Subdiacono facit Celebranti inclinationem dum integre est exornatus antequam ab eis discedat. [p]

IX. Interim Acolythi extinctis cereis in suis candelabris, eunt ad extinguendos cereos in altari,

(o) Bauldr. & Merat. *supr.* (p) Bauldr. *part.* 3. *supr.* Merat. *supr.* Castald. *lib.* 2. *sect.* 9. *cap.* 1. *num.* 26.

proce-

procedunt autem manibûs junctîs, & accedentes ad medium altaris genuflectunt in plano, acceptîsque emunctoriis ascendunt gradus quilibet ex sua parte & extinguunt candelas, primus Acolythus à parte Epistolæ, secundus à parte Evangelii, incipiendo ab his quæ remotiores sunt à Cruce, deinde repositis emunctoriis in suis locis, descendunt in planum ante medium altaris, ibique facta genuflexione, revertuntur ad sacristiam ut adjuvent Ministros sacros in deponendis paramentis. Thuriferarius ducit Celebrantem sacris vestibus jam exutum ad lavatorium, præbet ei vestem vel pallium, sicut fieri solet à Ministro post Missam privatam. Cæremoniarius verò curet referre libros ad sacristiam, & alia quæ reperiuntur in altari aut credentia, nisi sacristianus sit deputatus ad ea præstanda. Demum omnes facta brevi aliqua oratione in pace recedunt, vel in chorum redeunt, si opus sit. [q]

X. Dum est Presbyter Assistens recipit benedictionem genuflexione in margine suppedanei à dextris Diaconi, & assistit ultimo Evangelio legendo eô modô ut ad primum: si aliud legendum est Evangelium quàm Sancti Joannis *In principio &c.* decantato a Diacono *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, illico accipit librum clausum cum pulvinari ac recepta benedictione flexis genibus ut supra, non efformatô signô Crucis defert librum ad cornu Evangelii illumque aperit in loco requisito, finitô Evangeliô claudit librum eum relinquens super altare. Subdiaco-

(q) Bauldr. *part. 3. supr. num. 10.* Merat. *Part. II. Tit. XII. de Benedict. in fine Miss.*

nus

nus tunc recipit benedictionem genuflexus in suo gradu ante medium altaris, postea sequitur Celebrantem ad partem Evangelii ambulans per planum, nec ascendit gradus altaris. Demum Presbyter Assistens facta inclinatione Cruci a dextris Celebrantis descendit cum eo, salutat altare & chorum, revertiturque ad sacristiam à dextris Diaconi eo ordine quo venerat; ubi facta Cruci reverentia & Celebranti, deponit paramenta. [r]

ARTICULUS XI.

De solemni Sacro pro Defunctis.

I. TAm in Missa quàm in absolutione pro Defunctis altaris Ministri nec Celebrantis manum nec ea quæ ei porrigunt; aut ab eo recipiunt exosculantur (s) quanquam eum more solito salutent in sacristia & ad altare; sed non salutant se ad invicem, nec chorum sive intrent sive exeant, quod idem ab iis òbservatur qui choro intersunt, omissîs omnibûs consuetis inter se salutationibûs.

II. Non immittit Celebrans antequam ex sacristia egrediatur incensum in thuribulum, hinc Thuriferarius junctîs manibûs præit Acolythis candelabra sua solito more ferentibus. [t]

III. Post Confessionem ambo sacri Ministri in suppedaneum non ascendunt cum Celebrante, cu-

(r) Bauldr. *part. 1. cap. 35. num. 12.* (s) Cær em. Episc. *lib. 1. cap. 18. & lib. 2. cap. 8.* Rubr. Miss. 2. *de his quæ omitt. in Miss. pro Defunct.* Gavant. & Merat. *Part. II. Tit. XIII. de his quæ omitt. in Miss.* (t) Gavant. & Merat. *supr.*

jus

jus tamen vestes solito more sublevant, Diaconus quidem ad secundum usque gradum, Subdiaconus verò ad infimum duntaxat; cumque Celebrans osculatur altare, genuflectunt ipsi in locis suis, alius post alium, qua facta genuflexione unà progrediuntur ad cornu Epistolæ & assistunt Celebranti dicenti Introitum eô modô ut in aliis Missis. Porrò ad Introitum signum Crucis super se nullus efformat & nec altare nec Celebrans thurificantur. [u]

IV. Cuncti in choro & ipsi Cantores, atque minores altaris Ministri genibus nituntur dum à Celebrante cantantur Orationes, nec non & ab initio *Sanctus* usque ad *Pax Domini* exclusivè; [x] ac insuper ad Orationes postcommunionem usque ad ultimum Evangelium exclusivè.

V. Cantatâ Epistolâ ac facta deinceps genuflexione in medio infimi gradûs; Subdiaconus librum ei reddit à quo accepit, & in cornu Evangelii transfert Missale, sed ante nec manum Celebrantis osculatur, nec benedictionem recipit. (y) si in choro distribuendi sunt cerei juxta locorum consuetudinem (quod observatur in solemnibus Missis ut sunt Missæ Exequiales & quædam aliæ in quibus fit absolutio) distribuantur oportet post Epistolam, aut dum canitur prosa, & ardere tantummodo debent per Evangelium, & ab Elevatione usque ad Communionem: (z) post Missam vero toto absolutionis tempore.

(u) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 11.* Rubr. Miss. *supr.* Merat. *supr.* (x) Cærem. Episc. *supr.* Rubr. Miss. 5° *de ordine genuflect.* Gavant *Part. I. Tit. XVII. de ordin. genuflect.* (y) Rubr. Miss. *2. supr.* (z) Cærem. Episc. *supr.* Rubr. Miss. *3. supr.*

VI.

VI. Antequam Evangelium cantatum eat Diaconus, neque benedictionem petit, neque osculatur Celebrantis manum, sed solum quando opus est dicit *Munda cor meum &c.* quod commodè fit ad versiculum *Oro supplex &c.* cum prosa seu sequentia cantatur. Si tunc Celebrans sedebat cum sacris Ministris surgit Diaconus ad prædictum versum, salutatoque Celebrante solus ad altare progreditur per longiorem viam, factaque genuflexione in ultimo gradu, ascendit & in genua procumbit ad locum consuetum ubi recitat *Munda cor:* Diacono surgente ad librum recipiendum ex altari, Subdiaconus Cæremoniarius & Acolythi absque candelabris sed junctis manibûs per planum veniunt obviam ei, qui ita descendens ut Celebranti terga non vertat unà cum cæteris genuflectit ordine consueto, cuncti postea conferunt se ad cornu Evangelii, præcedit Cæremoniarius, deinde Diaconus solus, quem sequitur Subdiaconus, ac tandem Acolythi: manet interim Thuriferarius in suo loco ordinario, quia nec liber, nec Celebrans thurificandi sunt; [a] tum surgit si sedebat Celebrans & per breviorem viam ascendit ad cornu Epistolæ, quo pervenit antea immediatè antequam incipiat Diaconus. Sub tempus Evangelii stant Acolythi a lateribus Subdiaconi, junctis manibûs, ac signa Crucis in principio, nec non inclinationes ad nomen *JESUS* producunt sicut & alii quia non sunt tunc occupati. Finitô Evangeliô transfert se Celebrans ad medium altaris, non osculatus antea librum, quem illico clau-

(a) Rubr. Miss. *supr.* Merat. *Part. II. Tit. XIII. de his quæ omitt. in Miss.*

dit

dit Subdiaconus; omnes posthac uti venerunt ita revertuntur, atque post factam ante medium altaris genuflexionem, Subdiaconus Cæremoniario reddit librum & loca sua retrò post Sacerdotem occupant sacri Ministri, credentiam petentibus ambobus Acolythis; [b] proficiscitur eodem tempore Thuriferarius ad ignem thuribulo imponendum.

VII. Cantatô *Oremus* pro Offertorio ascendit solito more Diaconus ad dextrum Celebrantis latus, it verò Subdiaconus acceptum Calicem velô minorî pallâ coopertum, quem absque ullo humeris suis imposito velo defert ad altare: tum Diaconus bursam accipit & explicat Corporale ut in aliis solemnibus Missis, sublatum à Calice velum, Subdiaconus secundo Acolytho ad credentiam referendum tradit: aquam deinde infundit non petita prius benedictione, neque patenam tenet retrò post Celebrantem, sed eam collocat Diaconus sub Corporali, ita ut media pars illo, & purificatorio pars altera tegatur. [c]

VIII. Subdiaconus ampullâ aquæ Acolytho reddita, confert se ad medium altaris [d] Celebrans verò postquam thus imposuit ac benedixit ut in aliis Missis, thurificat eôdem modô Hostiam & Calicem ac deinceps altare, [e] utrôque sacrô Ministrô posteriorem casulæ partem sublevante; posthac incensatur ipse, atque Diœcesanus Episcopus si adsit, prout in suo loco dicetur infra.

IX. Statim post incensationem Diaconus acce-

(b) Bauldr. *part. 3. cap. 13. num. 9. & 10.* (c) Rubr. Miss. *supr.* Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 11.* Merat. *sup.* (d) Merat. *Part. II. Tit. XIII. supr.* Bauldr. *part. 3. cap. 13. num. 13.* (e) Rubr. Miss. *supr.* Cærem. Episc. *supr.*

ptô manutergiô è manibus dignioris Acolythi, Subdiaconus verò acceptis ab altero Acolytho ampulla & pelvi ad manuum lotionem Celebranti ministrant cum inclinatione mediocri ante & post (f) Redditis deinde rebûs prædictis, recipiunt se penes Celebrantem, & cum illo ad sua ex opposito medii altaris consueta loca procedunt, ubi Diaconus *Suscipiat* respondet ad *Orate fratres.* Dein si Cæremoniarius desit Celebranti assistit Diaconus tempore Secretarum, sed ad locum suum retrò post ipsum revertitur sub initium Præfationis, ad quam & ad versiculum *Sanctus* tum ipse, tum Subdiaconus nec non inferiores Ministri ita se gerunt sicut in aliis solemnibus Missis.

X. Genuflectente Diacono ad hæc verba *Quam oblationem* transituro à sinistra Celebrantis ad ejus dextram, genuflectit in loco suo Subdiaconus ascenditque ad cornu Epistolæ, ubi genua flectit in supremo gradu facie versa ad cornu Evangelii, acceptoque thuribulo è manibus Thuriferarii qui in illud prius immisit incensum absque benedictione, (g) Sanctissimum Sacramentum triplici ductu incensat ad utramque Elevationem cum profunda inclinatione ante & post. Thuriferarius interea genibûs nititur ad dextram Cæremoniarii, ubi easdem quas Subdiaconus inclinationes producit; post elevationem Calicis, reddit Thuriferario Subdiaconus thuribulum, suumque postea locum repetit retrò post Sacerdotem, quo perveniens genuflectit, statque deinceps usque ad *Pax Domini.* Diaconus verò redit ad librum & gerit

(f) Nicolaus de Braulion. *part. 3. cap. 22. num. 5.* (g) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 11.* Merat. *supr.*

ſe eô modô ut ſuperius in alia Miſſa ſolemni: cum Celebrans dicit *Et dimitte nobis*, ſolus Diaconus facta in loco ſuo genuflexione ad altare aſcendit ad dextram Celebrantis, ubi patenam purificatorio extergit & ſine oſculis offert eidem. Statim atque Thuriferarius thuribulum recepit; refert illud in conſuetum locum, ſed ceroferarii uſque ad Communionem incluſivè permanent genibûs flexis. (h)

XI. Ad *Agnus Dei* de more ſtant ſacri Miniſtri à lateribus Celebrantis, prædictumque verſiculum cum illo recitant abſque pectoris percuſſione. Pax non datur, ſed præfati Miniſtri locum è veſtigio mutant, cum requiſitus in hac & illa parte genuflexionibus, Diaconus tranſit ad ſiniſtram Celebrantis & Subdiaconus ad dextram, ubi ſuo uterque Officio fungitur quomodo & in cæteris Miſſis. Cantat Diaconus ſemper in numero plûrali *Requieſcant in pace* non ſe ad populum vertens, (i) neque poſtea cum Subdiacono genuflectens, quia non datur in fine ſacri Benedictio; ſed ubi primum oſculatûs eſt Celebrans altare, aſcendunt illi non facta prius genuflexione ad cornu Evangelii, ubi Celebranti dum Evangelium ſecundum Joannem legit, aſſiſtunt de more; poſtea recedunt inſalutatô chorô.

XII. Si habenda ſit poſt Miſſam Abſolutio pro Defunctis, ea obſervantur quæ inferius in proprio loco annotabuntur. Oratio funebris ſi quæ habenda ſit habeatur oportet poſt Miſſam, & ante Abſolutionem. Orator ipſe benedictionem non

(h) Merat. *ſupr.* Bauldr. *part.* 3. *cap.* 13. *num.* 17. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 11. (i) Merat. *ſupr.* Bauldr. *ſupr.*

petit, ſed efformatô ſemel ſignô Crucis exorditur & Orationem proſequitur abſque interruptione; huic Celebrans in pluviali, ſacri Miniſtri in ſuis abſque manipulo ornamentis interſunt. (l)

ARTICULUS XII.

De Miſſa ſolemni coram expoſito Sanctiſſimo Sacramento.

I. QUamquam præmoneat nos Cæremoniale Epiſcoporum Lib. 1. cap. 12. conveniens admodum eſſe ut juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam Miſſæ in eo altari non celebrentur in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum vel etiam incluſum in Tabernaculo, & caſu quo ibi celebrandum ſit, expedire multum, ut Sanctiſſimum Sacramentum ad aliud altare transferatur; nihilominus cum oppoſita conſuetudo jam dudum multis in locis recepta ſit, cumque juxta idem Cæremoniale occurrat nonnunquam ante Venerabile expoſitum celebrandi neceſſitas, ut Feria quinta in Cæna Domini, in Feſto Corporis Chriſti & per ejus Octavam; & illis diebus quibus fiunt preces quadraginta horarum, quæ tunc obſervantur ſpeciales ſunt Cæremoniæ, neceſſe eſt eas hic recenſere, illîs omiſsîs, quæ aliis Miſſis ſolemnibus communes ſunt; & quas jam relatas ſupponimus.

II. Ornatum altare ſit oportet ut diebus 1mæ Claſſis aut ſaltem 2dæ, ſuper altare Crux parva

(l) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 11. Merat. *part. II. Tit. XIII. de his quæ omitt. in Miſs. pro Defunct.* Bauldr. *part.* 3. *ſupr. num.* 20. Braulion *part.* 3. *cap.* 22. *num.* 9.

collocetur in medio, ut decrevit S. R. C. die 14. Maji 1707. [m] & ſex ad minimum cerei, vel plures ſi fieri poſſit apponendi ſunt, qui cerei omnes nec non & alii ſi ſint circumcirca altare poſiti, per totum celebre Sacrum & cætera Officia ſolemnia ardere debent.

III. Ut primum intrant in chorum Officiales altaris, capita detegunt, ſalutatoque de more Clero, ad altare progrediuntur, ubi flexis ambobûs in plano genibûs inclinatoque capite Sanctiſſimum adorant; (n) ſed in decurſu Sacri non flectunt deinceps niſi unicum genu, excepto tempore, quo Venerabile Sacramentum incenſatur. Dicto *Confiteor* poſtquam aſcenderunt Celebrans & ambo ſacri Miniſtri in ſuppedaneum, genuflectunt ſtatim, non genuflexuri deinceps cum altare Celebrans ad hæc verba *quorum Reliquiæ hic ſunt* deoſculabitur. (o) Quocirca obſervanda venit generalis hæc Regula quæ nimirum præſcribit, ut quotiescunque accedunt illi ad medium altaris aut ab eo recedunt vel illud prætergrediuntur etiam in comitatu Celebrantis, ſive à lateribus ejus ſive retrò poſt ipſum, genuflexionem faciunt altero tantum genu, ſed quando aſcendunt ad altare ut cum Celebrante recitent *Gloria, Credo,* & *Sanctus* aut præſtent aliquid aliud in eo loco genuflectunt ubi genuflectere ſolent per alias ſolemnes Miſſas, quæ abſque expoſitione Sanctiſſimi Sacra-

(m) Vide Merat. *in Indic. Decret.* & Benedictus Papa XIV. in Brevi quod incipit *accepimus* ad Epiſc. Ditionis Eccl. (n) Gavant & Merat. *Part. II. Tit. XIV. de his quæ adden. coram SS. Sacram.* (o) Gavant & Merat: *ſupr.* Caſtald. *lib. 3. ſect. 10. cap. 3. num. 1.*

menti

cramenti celebrantur. Celebrans inſuper genuflectit & nonnihil ad cornu Evangelii retrocedit ſemiconvertendo ſe ad populum ut *Dominus vobiscum* dicat, & *Orate fratres.* tunc autem ſacri Miniſtri ſuis in locis permanent immoti: Aſt ſi dicto *Dominus vobiscum* iturus ſit Celebrans ad cornu Epiſtolæ ſolummodo genuflectunt ſacri Miniſtri tum, cum genuflectit ipſe reverſus ad medium altaris, hinc illicò receſſurus.

IV. Facta Confeſſione abſque ulla genuflexione, Celebrans aſcendit ad altare cum Miniſtris ubi unicum genu flectunt, eodem etiam tempore Thuriferarius verſus medium ſuppedaneum altaris pro benedictione incenſi adveniendo genuflectit ad Sanctiſſimum Sacramentum, tumque Celebrans oſculatus altare recedit tantiſper in partem Evangelii non facta genuflexione, [p] & incenſum in thuribulum imponit illud benedicendo. [q] Diaconus naviculam miniſtrat & thuribulum eô modô ſicut in aliis Miſſis, (r) poſthac Celebrans & ambo ejus Miniſtri nulla facta genuflexione ad ſecundum gradum deſcendunt & in margine ſuppedanei genuaflectunt, [s] tum qui jam deſcendit in eundem gradum cum ſacris Miniſtris Thuriferarius thuribulum Diacono porrigit, & facta genuflexione in partem Epiſtolæ recedit, ubi genibûs nititur in plano interea dum thurificatur Sanctiſſimum Sacramentum; quod ſimiliter ſuis in locis faciunt cæteri omnes altaris Miniſtri, non tamen

(p) Gavant & Merat. *ſupr,* (q) Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 23.* (r) Caſtald. *lib. 3. ſect. 10. cap. 3. num. 1.* Braulion. *part. 4. cap. 3. num. 5. 6. & 7. & part. 3. cap. 3. num. 7.* (s) Gavant & Merat. *ſupr.*

incli-

inclinant se sive ante, sive post; hoc quoque observant quando iterum incensatur ad Offertorium; [t] acceptum à Thuriferario thuribulum tradit Celebranti Diaconus, Celebrans autem ter incensat Sanctissimum Sacramentum inclinando se profundè cum sacris Ministris ante & post; his peractis erigit se Celebrans ascendit ad altare, quod facta genuflexione thurificat more consueto, incipiendo à Reliquiis si adsint & prosequendo per cornu Epistolæ quia Crux non debet incensari, [u] perfecta thurificatione altaris thuribulum reddit Diacono ac è vestigio in planum aut saltem extra suppedaneum descendit cavendo ne tergum interim vertat altari, ibi autem versa facie ad populum à Diacono non sine consuetis inclinationibus thurificatur, postea per eandem viam ascendit denuo ad cornu Epistolæ, nullâque exhibitâ tunc reverentiâ inchoat Introitum. Notandum venit quod in hoc eodem loco post Offertorium debeat Celebrans incensari, manus lavare & abstergere, versa continuò facie ad populum; [x] at verò incensatur eo in loco post Evangelium quomodo & in aliis solemnibus Missis (y)

V. Tempore *Gloria.* & *Credo* non sedet Celebrans stantque à lateribus ejus Ministri sacri prout dictum est superius Articulo 4to numero 6to. Clerus tamen in choro sedere potest sed detecto semper capite, tam in Missa quam in Vesperis solemnibus juxta Cæremoniale lib. 2. cap. 33.

VI. Subdiaconus in fine Epistolæ, & ante Evan-

(t) Castald. *supr.* & Braulion. *supr.* (u) Gavant & Merat. *supr.* Braulion. *part. 3. cap. 3. num. 6.* (x) Gavant & Merat. *supr.* Bauldr. *part. 2. cap. 5. art. 3. n. 1.* (y) Bauldr. *supr. num. 5.*

gelium

gelium Diaconus, osculantur de more manum Celebrantis, sicut iterum Diaconus patenam ipsi porrigens & Calicem ad Offertorium, ac rursus patenam post Orationem Dominicam ministrans, res istas & Celebrantis manum uti fit in aliis Missis exosculatur. (z)

VII. Si post Evangeliũ habere velit Celebrans sermonem ad populum stando habere debet, ac detecto capite in suppedaneo ad cornu Evangelii, stantibus quoque ad dextram ejus sacris Ministris supra gradus; si verò in Cathedra ordinaria habebitur Concio Tabernaculo reponendum est Sanctissimum Sacramentum vel velô tegendum.

VIII. Quando in choro jamjam canendus est versus *Et incarnatus est* genuflectit Celebrans atque cum suis ambobus Ministris descendit in gradum secundum, genua flexurus in margine suppedanei, cumque denuo ascenderit cum illis secundò genuflectit; tum per breviorem viam transfert se Diaconus ad abacum seu credentiam unde bursam accipit, atque redeundo genuflectit in infimo gradu; ascendit postea & Corporale extendit de more supra medium altaris; unde aliquantulum ad partem Celebrans recessit, ut ei locum det illud commodè explicandi; postea genuflectit Diaconus, & stat deinceps à dextris & parumper à tergo Celebrantis, qui ad medium se denuo collocât, non facta tunc, nec ante genuflexione, ex eo nempe quia medium altaris non penitus deserit.

IX. Ad Offertorium gerunt sese Diaconus &

(z) Gavant & Merat. *supr.* Bauldr. *part. 3. cap. 17. num. 8.*

Subdia-

Subdiaconus perinde ac in aliis ſolemnibus Miſſis, incenſum benedicit Celebrans, nullaque genuflexione facta, Hoſtiam & Calicem modô conſuetô thurificat; genuflectit poſtea, deſcenditque ad ſecundum gradum & genibûs flexîs in margine ſuppedanei Sanctiſſimum Sacramentum incenſat, prout ſpecificatum habetur ſupra num. 4to; hôc unô exceptô quod genua flexum eundo, præ manibus thuribulum habeat quodque inchoat, incenſando Sanctiſſimum, Orationem *Dirigatur Domine* quam de more proſequitur per totam altaris thurificationem; [a] Diaconus Calicem è medio non removet quia nullum tunc imminet everſionis periculum, quoniam Crux thurificanda non eſt: [b] Thuriferarius verò, facta ut moris eſt genuflexione in ſuppedaneo poſt thuris benedictionem recipit ſe ad partem Epiſtolæ; ubi cum cæteris altaris Miniſtris genua flectit.

X. Subdiaconus antequam incenſetur, genuflectit in loco ſuo tum cum à dextris ejus è choro rediens Diaconus genuflectit, ille poſtmodum recedit aliquantulum in partem Evangelii ubi incenſatur, reverſus deinde ad medium denuò flectit quo tempore Diaconus genuflectit perveniendo in locum ſuum: hic autem mox ſe recipiens verſus cornu Evangelii de more incenſatur à Thuriferario, revertitur poſtea in medium ſupra eundem gradum ubi rurſum genuflectit, ſtatque per Præfationem. Si Thuriferarius thurificaturus ſit populum juxta id quod habetur Articulo 7. numero 11. & ut illum thurificet, recedit tantiſper

(a) Bauldr. *part. 3. cap. 17. num. 11.* (b) Caſtald. *lib. 3. ſect. 10. cap. 3. num. 3.* & Bauldr. *ſupr.*

ad

ad cornu Evangelii ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento. [c]

XI. Quando genuflectit Celebrans ut eat in cornu Evangelii ablutionem ultimam recepturus, unà cum illo genuflectunt ſacri Miniſtri qui ſunt à lateribus, tum Epiſtolæ cornu petit Subdiaconus ut illi vinum & aquam miniſtret, Diaconus verò verſus cornu Evangelii parumper recedit, ubi accingit ſe ad Miſſale transferendum, ſemel tantum de more genuflectens in ſuo loco, tum, cum reverſus ad medium altaris Celebrans genuflectit; atque ſatagit Subdiaconus ut eodem tempore genuflectat in ultimo gradu, iturus poſtea in cornu Evangelii ad ornandum modô conſuetô Calicem.

XII. Ad *Ite Miſſa eſt* vertit ſe ad populum Diaconus media tantum ſui parte extra medium altaris in cornu Evangelii ad normam Celebrantis ſed de more genuflectit Sacramento in medio, ante & poſt; ſtat interea in loco ſuo Subdiaconus nulla genuflexione facta; (c) qui poſtmodum in ſecundum gradum aſcendit ad dextram Diaconi, ubi recipiunt ambo genibûs flexîs benedictionem, qua data conferunt ſe ad cornu Evangelii ut ultimo Evangelio interſint ſicut & in aliis ſolemnibus Miſſis. (d)

XIII. Perlectô Evangeliô revertitur Celebrans ad medium altaris, ſuis cinctus Miniſtris, quibus cum facta genuflexione, in planum deſcendit ita tamen ut terga non vertat ad Sanctiſſimum Sacramentum, quamobrem Celebrans & Subdiaconus aliquantulum in partem Evangeli recedunt, Dia-

(c) Bauldr. *part. 3. cap. 17. num.13.* (d) Merat. *Part II. Tit. XIV. de his quæ adden. coram SS. Sacrament.*

conus

conus verò in partem Epiſtolæ; poſtea cum cæteris inferioribus Miniſtris uti fecerunt adveniendo ita nunc flexìs genibûs Sanctiſſimum adorant; (e) deinde in pedes erecti pileos ſuos recipiunt & ad ſacriſtiam revertuntur, ſicuti venerunt, non priùs capita tegentes quam ex choro egrediuntur.

XIV. Si Sanctiſſimum Sacramentum exponendum ſit ante Miſſam, & poſtea recludendum, aut aliqua fieri debeat Proceſſio obſervanda ſunt quæ inferius in proprio ſuo loco dicentur. Cætera Celebranti peculiaria quæ hic vel omiſſa vel generatim relata ſolum ſunt, fusè deducta reperiuntur in Miſſa privata coram expoſito Sanctiſſimo Sacramento part. 1. art. 14. quo ad reliqua autem quæ ad Sacrum ſolemne ſpectant recolendum quod ſuperius habetur de ordinaria Miſſa ſolemni.

ARTICULUS XIII.

De ſolemni Miſſa coram Epiſcopo Diæceſano extra Eccleſiam ſuam Cathedralem.

I. ANtequam perveniat Epiſcopus ad Eccleſiam paranda eſt à ſacriſtiano in cornu Evangelii ſi fieri poſſit altare inter & chorum Sedes Epiſcopalis elevata à parte anteriori & à lateribus tribus gradibus taperibus undique cooperta; [f] paretur etiam & pulvinar in quo quando opus erit genua flectat Epiſcopus, ſi noluerit è ſede ſua deſcendere: collocetur quoque inferius ante gra-

(e) Merat. *ſupr.* Bauldr. *ſupr. num. 15.* (f) Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 13.* Merat. *Part. II. Tit. XIV. de his quæ adden. coram Epiſcop.*

dus

dus altaris genuflexorium violaceo tapete tectum cum pulvino ejusdem coloris, in quo Epiſcopus flectet ad ſuas fundendas preces poſt ſuum adventum, & ante exitum, nec non & per tempus Miſſæ, ſi videbitur ipſi ad Elevationem & alias prout annotabitur infra numero 16. ſi conſuetudo ſit inſtrumentum adhibendi ad pacem Epiſcopo dandam [ut praxis eſt in pluribus] Eccleſiis, collocat Cæremoniarius ſupra credentiam hocce pacis inſtrumentum, cui affixum ſit oportet, parvum velum ex ſerico vel lino, illud abſtergendi gratia priuſquam Epiſcopo ad oſculandum porrigatur: præparat etiam Miſſale pulchrum quod à Clerico quando neceſſe, ante Epiſcopum tempore Sacri ſuſtentabitur, nec non & bugia quam cum ardenti ſuo cereo Clericus alter interea præferet à lateribus ejus ſi talis ſit mos, vel Epiſcopi voluntas.

II. Diæceſanum Epiſcopum debet ad fores Eccleſiæ ſuſcipere Clerus ſuperpelliceis indutus cum aqua benedicta; illumque advenientem venerantur omnes convenienti ſalutatione; tum ſuperior Cleri aut dignior ex Clero aſpergillum ei cum conſuetis oſculis porrigit, (h) ipſe verò aquâ luſtralî frontem ſibi primum tingit, & eadem poſtea cæteros aſpergit; hìs peractis progreditur præcedente Clero [i] ad altare in quo requieſcit Sanctiſſimum Sacramentum, deinde ad majus altare, ſi hoc ab illo differat, precesque pias fundit ante utrumque; interea Clerus fusìs etiam ſuis ad DEUM precibûs à tergo Epiſcopi, recipit ſe in chorum ubi ſua ſinguli occupant loca. Si Mozetta & Ro-

(g) Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 29.* (h) Vide Decret. S. R. C. apud Merat. *in Indic. Decret.* (i) Merat. *ſupr*

chette

chette jam indutus non sit Episcopus cum in templum venit, hæc indutum it in sacristiam, peracta sua oratione ante Venerabile Sacramentum, accedit postmodum ad altare majus uti dictum est.

III. Statim ac in chorum Episcopus ingreditur, egrediuntur ex sacristia Celebrans & sacri Ministri & ad altare tendunt nisi Officium aliquod superesset absolvendum; atque salutato altari salutant & Episcopum postquam erexit se à precibus, inclinatione videlicet profunda Celebrans, cæteri verò omnes genuflexione, quod idem observant inter ipsa Missarum solemnia quoties ante ipsum pertranseunt. (l)

IV. Postquam pervenerit Episcopus infra gradus ad medium altaris, collocat se Celebrans ad ejus sinistram aliquantulum retro, sacri quoque Ministri recipiunt se ad sinistram Celebrantis, & nonnihil à tergo ipsius. Missa inchoatur ab Episcopo cui Celebrans respondet ut declaravit S. R. C. 4. Augusti 1663. [m] respondent & ejus Ministri, vertentes se ad ipsum quando proferunt *& tibi Pater*, *& te Pater.*

V. Dictô per Episcopum *Indulgentiam* salutant illum, Celebrans profunda inclinatione, & ejus Ministri genuflexione, & paululum se retrahunt à gradibus altaris ut ei viam aperiant ad suam sedem eunti, ubi pergit *Deus tu conversus vivificabis nos.* inclusive usque ad *Aufer à nobis* exclusivè [n] Celebrans interim promovens se ad medium altaris Sacrum de more prosequitur medius

(l) Merat. *supr.* (m) Merat. *in Indic. Decret. & supr.* (n) Bauldr. *part. 5. cap. 9. art. 2. num. 3. & 4.* & Merat. *supr.*

inter

inter utrumque suum Ministrum, & antequam in suppedaneum conscendat, salutat denuò cum illis Episcopum, si altari satis propinquus fuerit. Si non placeret Episcopo Missam inchoare, Confessionemque peragere, quamvis hoc sit admodum conveniens, illam inchoaret Celebrans; & eôdem modô se gereret, ut dictum est de Missa privata coram Episcopo Diæcesano; sacrique Ministri non conformarent sese Celebranti circa reverentias quas ipse tum Episcopo exhiberet, quoniam cunctæ illi peculiares sunt.

VI. Diaconus facta genuflexione ad dextram Celebrantis dum osculatur altare ad hæc verba *quorum reliquiæ hic sunt*, medius inter Cæremoniarium à sinistris, & Thuriferarium à dextris, adit Episcopum sedentem, quem cum illis salutat facta infra genuflexione, curat ut incensum benedicatur ab eo, cui cochlear cum osculis consuetis porrigit, dicens *Benedicite Pater Reverendissime* vel si Cardinalis fuerit *Eminentissime*, sustentante interim Thuriferario genibûs flexîs thuribulum apertum coram Episcopo: deinde reddita Thuriferario naviculâ salutatoque Episcopo ut ante, terni redeunt ad altare [o] ubi Diaconus thuribulum recipit à Thuriferario illudque Celebranti qui thurificationem de more peracturus est, ministrat. Post Offertorium eôdem modô & iisdem concurrentibûs Ministrîs incensum benedicitur; sed ante Evangelium benedicitur agente Cæremoniario, dum a Diacono dicitur *Munda cor meum.* Si quis autem assistat Episcopo Presbyter indutus superpelliceo; ipsius est curare benedictionem in-

(o) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 23.*

O 2 censi,

censi, & Episcopum thurificare, hocque in casu non convenit ad Episcopum Diaconus, sed solum Thuriferarius cum Cæremoniario, quod semel dictum sit pro semper.

VII. Incensato altari incensat Diaconus duplici ductu Celebrantem, non verò Episcopum si Pontificialia ut sunt Infula & Pluviale non induerit, in hoc enim casu semel tantum inter Missarum solemnia incensari debet Episcopus; etiamsi Cardinalis foret & Legatus, juxta Cæremoniale Episcoporum ab Innocentio X. recognitum. [p]

VIII. Episcopus in sede sua quatuor quæ sequuntur legit in Missali, quod ante ipsum unus è Capellanis suis vel alius Clericus capiti innixum sustentat, dum alius à latere bugiam tenet cum Cereo accenso si ea soleat uti. 1mò. Stans ac detecto capite legit Introitum *Kyrie* & *Gloria in Excelsis* quo tempore ista à Celebrante dicuntur. 2dò. Sedens tectoque capite perlegit Epistolam, Graduale *Alleluja* Sequentia vel Tractum usque ad Evangelium inclusivè. 3tiò. Stando legit Symbolum, *Sanctus* & *Agnus Dei*. 4tò. Legit verò sedendo Offertorium & quæ Communio appellatur Antyphonam. (q) Quod attinet verò ad circulos quos efformare debent Canonici in Missis quibus interest, scilicet ad Introitum usque post *Gloria*, si dicatur ad *Credo* ad *Sanctus* & *Agnus Dei*, hæc in praxim non rediguntur extra Ecclesiam Cathedralem, neque in Missis pro Defunctis, neque in feria 6ta majoris hebdomadæ ubicunque locorum. (r)

(p) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 23.* (q) Merat. *Part. II. Tit. XIV. de his quæ adden. coram Episc.* & Castald. *Lib. 2. sect. 9. cap. 4. num. 14.* (r) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 22.*

IX.

IX. Quanquam sedem suam habeat Episcopus penes altare potest nihilominus Celebrans de more sedere cum suis Ministris ad *Gloria* & *Credo*. Qui Episcopum comitantur Clerici sedent in gradibus Sedis Episcopalis vel in alio commodo loco. Quando verò è sua sede Celebrans ad altare revertitur, salutat cum suis Ministris uti convenit prius Episcopum, postea altare. [s]

X. Subdiaconus cum Cæremoniario à sinistris genuflectit altari, tum Episcopo antequam Epistolam cantet: notandum tamen hic est, quod si Subdiaconus priùs quam cantet Epistolam debeat transire ante Episcopum, primo faciet genuflexionem Episcopo tum altari, quia in tali casu non attenditur cui prius vel postea genuflexio exhiberi debeat, sed consideratur tantum commoditas gradientis; (t) finitâ Epistolâ altari denuò genuflectit Subdiaconus aditque Pontificem & flexis ipse genibûs, librum suum genibûs Episcopi superponit, cujus manum osculatur & à quo, non verò à Celebrante, benedictionem recipit; facta postmodum genuflexione infra Thronum Episcopalem ad altare redit, ibique librum suum ad manus Cæremoniarii deponit. (u)

XI. Diaconus acceptum è manibus Cæremoniarii librum Evangeliorum defert ad altare, salutatque transeundo Episcopum, uti modo dictum est de Subdiacono, depositoque libro super altari, & genuflexione facta, confert se ad Episcopum, osculatur manum ejus, ipsique exhibita reverentia

(s) Merat. *supr.* (t) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 18.* (u) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 9.*

 rece-

recedit; postea dicturus it *Munda cor meum* in ultimo gradu altaris, [x] ascendensque postmodum accipit librum genuflectit, & infra descendit in partem Epistolæ ubi proficiscendi tempus præstolatur, quo instante genuflectit altari, atque cum aliis ordine consueto procedit ad Episcopum, ante ipsum genuaflectunt omnes, permodum lineæ rectæ, si locus sit idoneus, Diaconus Episcopo paulò vicinior quam cæteri petit ab eo benedictionem dicens *Jube Domine benedicere*, qua recepta absque osculo manûs, surgunt omnes, genuflectunt Episcopo, & ad locum Evangelio cantando destinatum eunt, ubi collocant sese non secus ac in aliis Missis, nec altari nec Episcopo terga vertentes.

XII. Decantatô Evangeliô defert Subdiaconus nulla facta salutatione librum Episcopo ad osculandum, quo postea salutato genuflexione, quam præstant & alii si ante illum transierint, recedit ipse Subdiaconus modo consueto; Celebrans autem nec librum osculatur, nec thure adoletur, (y) tuncque primum intonat *Credo* vel *Dominus vobiscum*. Si quis alius Episcopô Diæcesanô dignior adesset Prælatus, ut S. R. Eccl: Cardinalis, Liber Evangeliorum ad osculandum offertur digniori duntaxat, sed si paris cum Episcopo Diæcesano dignitatis intersint plures, nemini debet exhiberi. [z]

XIII. Si sub tempus Sacrificii habeatur Concio sedet Celebrans in ordinaria sua sede, medius inter suos Ministros sicut ad *Gloria in excelsis*, si-

(x) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. (y) Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 23. (z) Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 30.

que

que promulget deinceps Concionator concessas per Episcopum Indulgentias juxta ea quæ refert Cæremoniale lib. 1: cap. 22. toto tempore tum hujus promulgationis, tum Confessionis prius à Diacono peractæ, erectus in pedes, ac aperto capite stat Celebrans in cornu Epistolæ non secus ac dum canitur Evangelium; insuper inclinat caput ad benedictionem, cæteri verò nituntur interea genibûs, quomodo infra dicetur num. 19.

XIV. Subdiaconus antequam in Calicem aquã infundat, vertit se ad Episcopum & ob oculos ejus evehens urceolum aquæ, factaque genuflexione hæc ad ipsum dirigit verba. *Benedicite Pater Reverendissime* aut si Cardinalis fuerit *Eminentissime* tum aquam benedicit Episcopus ex sede sua [a] sed si Subdiaconus stans ad altare non posset ab Episcopo commodè percipi, deberet ille cum Cæremoniario ad sedem Episcopi venire ut aqua benediceretur, exhiberentque ambo tam eundo quam redeundo salutationes requisitas.

XV. Post oblationem Calicis Diaconus quem comitantur Thuriferarius & Cæremoniarius, ministratum it incensum Episcopo, ad benedictionem ubi dictum est superius numero 6.; revertensque ad altare in cornu Epistolæ thuribulum quod accipit à Thuriferario, tradit Celebranti, qui incensat altare sicut in aliis Missis. Celebrantem postea incensat Diaconus duplici ductu tantum, quô sic incensatô thurificatum it triplici ductu atque cum debitis salutationibus Episcopum; à quo benedictionem recipit, ac deinde chorum incensat de more: [b] incensatur & ipse per Thu-

(a) Merat. *supr.* (b) Bauldr. *part.* 5. *cap.* 9. *art.* 2 *num.* 12.

rifera-

riferarium, Acolythi quoque & populus. Si Presbyterum Assistentem penes se habeat Episcopus, ab illo thurificari debet, ipse verò Presbyter Assistens, incensatur post à Diacono, qui deinde chori incensationem prosequeretur; uti dictum est.

XVI. Paulò ante Elevationem, Episcopus genua flectit supra pulvinar, in suo loco. vel ex sede sua descendit genua flexurus ante altare in genuflexorio prius in hunc finem adaptato; tunc autem non flecteret Subdiaconus in medio altaris, sed vel retrò post Episcopum, vel super infimo gradu paulò versus cornu Epistolæ; [c] possentque Ceroferarii pro majori commodo recipere sese ad ambo altaris latera, flecterentque facie ad se invicem versa juxta superius dicta Art. 8. num. 3. Post Elevationem ad sedem suam si ex ea descendisset, Episcopus revertitur, nisi Missa celebretur pro Defunctis, aut de Feria privilegiata de quibus mentio facta est Art. 4. num. 9. in illis siquidem Missis in genua provolutus Episcopus manet sicut & qui choro intersunt à *Sanctus* inclusivè, usque ad *Pax Domini* exclusivè; nec non tempore Orationum quas cantat Celebrans. Quod etiam observat ad certos quosdam versiculos ut sunt: *Adjuva nos DEUS. Veni Sancte Spiritus.*

XVII. Postquam à Diacono recepit Subdiaconus pacem, defert illam cum Cæremoniario procedens ad Episcopum, cui sicut & cæteris dicit *Pax tecum*, illôque salutatô non ante sed post tantummodo; confert se ad chorum de more pa-

(c) Bauldr. *supr. num. 13.* Merat. *Part. II. Tit. XIV. de his quæ adden. coram Episcop.*

cem

cem daturus. (d) At verò loci consuetudo si ferat, ut cum Instrumento pax Episcopo detur, Diaconus data pace Subdiacono, recipit à Cæremoniario pacis Instrumentum; quod osculatus Subdiacono tradit; hic autem manibûs ad altitudinem pectoris erectis fert illud, & Episcopo porrigit ad osculandum, tergens prius velô ad hoc alligatô, redditque postea Cæremoniario & cætera præstat, quæ dicta sunt.

XVIII. Si quem habeat penes se Episcopus Presbyterum Assistentem vel illius vicesgerentem is ad altare se confert, solusque à Celebrante pacem recipit, quam datum it Episcopo, quomodo dictum est de Subdiacono, vel per osculum, vel per instrumentum, quod prius osculatur & tergit. His actis accedit Subdiaconus ad eundem Presbyterum Assistentem, ut ab eo pacem recipiat quam primò dat iis qui choro intersunt, postea Diacono & Cæremoniario. (e) sed si Celebranti suus foret Presbyter Assistens, iret is receptum pacem à Presbytero Assistente Episcopi, & illam primum ad chorum, deinde ad Diaconum, Subdiaconum atque Cæremoniarium deferret. (f)

XIX. Celebrans dictô *Placeat*, & osculatus altare benedictionem non impertitur, sed facta inclinatione Cruci cum ambobus suis Ministris qui sunt in locis suis alius retrò post alium, recedit unà cum illis ad cornu Epistolæ; ubi stat in secundo gradu erectus in pedes facie versa ad cornu Evangelii, expectans benedictionem stante Diacono ad ejus sinistram & Subdiacono ad sinistram

(d) Merat. *supr.* Bauldr. *supr. num. 15.* (e) Bauldr. *supr.* Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 24.* (f) Cærem. Episc. *supr.*

Diaco-

Diaconi; sed profundè inclinatur solus Celebrans, Diaconô & Subdiaconô in genua provolutis in suis ordinariis gradibus tum cum benedictio datur ab Episcopo, sive in sede sua sive in medio altaris, quod ab ipsius voluntate pendet. (g) Si erecta foret sedes Episcopalis in cornu Epistolæ, reciperet se Celebrans ad benedictionem recipiendam ad cornu Evangelii, occuparetque Diaconus dextram Celebrantis, Subdiaconus verò ad dextram Diaconi quemadmodum dictum mox fuit: si Celebranti committeret Episcopus benedictionem dare, quod tamen inconveniens videtur, tunc Celebrans prolatis de more *Benedicat vos omnipotens DEUS*, vertens se ad populum inclinaret se profundè Episcopo, & eam solum partem benediceret in qua non esset Episcopus. [h]

XX. Post datam ab Episcopo benedictionem procedit Celebrans cum utroque suo Ministro ad legendum in loco consueto Evangelium, factâ in transitu debita in medio altaris inclinatione, perlectô Evangeliô vertit se statim ad Episcopum eumque salutat cum suis Ministris; tum versa facie denuo ad altare, expectat donec abierit Episcopus. itque postea cum omnibus Ministris suis ad medium altaris,& sacristiam de more repetit; qui choro intersunt Ecclesiastici Viri abeuntem Episcopum comitari debent vel omnes, vel saltem aliqui, si opus fuerit ut in choro cæteri permaneant ob Officium aliquod immediatè post Missam habendum.

XXI. Adverte 1mò: hæc eadem esse servanda

(g) Merat. *supr.* Bauldr. *supr. num. 16.* (h) Bauldr. *supr.*

omnia

omnia erga Archiepiscopum in Provincia sua, & Cardinalem in omnibus locis, [i] dummodo Rochetto & Mozetta induti sint. Si tamen Cardinalis Sacerdotio non sit initiatus, Celebranti competit benedictionem in fine Missæ impertiri, quomodo supra specificatum habetur sub finem n. 19.

XXII. Adverte 2dò. Si Episcopus Diæcesanus aut quispiam alius ex supra nominatis Sacro adesset Pontificaliter indutus cum Mitra & Pastorali, fore ut tunc quædam prædictis omnibus Cæremoniis addenda essent, nimirum quod incensaretur ille ante Introitum immediatè post Celebrantem, sicut etiam post Evangelium cum exclusione Celebrantis, qui protunc non incensatur; [l] atque post Missam Celebrans & sacri Ministri salutato altari, salutarent postea Prælatum qui remaneret in sede ut ibi ornamenta sua deponeret; cumque hoc in casu carere non debeat Presbytero Assistente, præstaret is quæ de benedictione incensi, de thurificatione Episcopi & de pace dicta sunt: superius num. 6. 15. & 18.

XXIII. Adverte 3tiò. Quodsi è contra Diæcesanus Episcopus aut alius ex Prælatis supradictis adesset indutus veste talari tantum absque Rochetto & Mozetta, [quod non decet nec unquam deberet contingere] minori afficiendus esset honore, quam si dignitatis suæ insignibus ornaretur; sufficeretque illum tam in principio, quam in fine Missæ salutasse, detulisse ipsi post Evangelium librum ad osculandum, & eum incenso ter adolevisse ad Offertorium immediatè post Celebrantem.

(i) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 4.* (l) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 23.*

XXIV.

XXIV. Adverte 4tò. Quando Episcopus extra suam Diæcesim vel Archiepiscopus extra suam Provinciam Missæ solemni interest Rochettam & Mozettam indutus, ea tantummodò observanda esse quæ subsequuntur; 1. non in Sanctuario sed in aliquo ex dignioribus chori sedilibus locum occupare solet. 2. Salutatur à Celebrante & ejus Ministris profundè se inclinantibus in principio & fine Missæ, priusquam chorum in utramque partem salutent. 3. Incensatur à Diacono ad Offertorium immediatè post Celebrantem triplici thuribuli ductu sicut & iste. 4. Pax ei priusquam cappariis per Subdiaconum defertur, & quidem quomodo specificatum est numero 17. eædem ferme observantur Cæremoniæ erga supremum aut alium magnæ notæ Principem sive virum sive fæminam, quibus tamen non nisi cum instrumento Pax unquam danda est. (m) Quod verò attinet ad inferiores Prælatos, aut Abbates nec non ad Magnates aut Magistratus consideratione dignos satis est, (nisi quid aliud postulet locorum consuetudo) bis illos incensare (n) pacemque ipsis dare nonnisi post capparios. Vide quæ hac de re habentur ubi de Missa privata Art. 15. num. 11.

XXV. Adverte 5tò. Circa salutatorias venerationes Episcopo & aliis sub tempus Missæ exhibendas: 1. Quod Celebrans sive in solemni sive in privata Missa, neque Prælatis neque Principibus genuflectere debeat, sed soli summo Pontifici, alios verò profunda inclinatione venerari. 2. Quod ambo sacri & omnes inferiores Ministri ge-

(m) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 23. & 24.* (n) Cærem. Episc. *supr.*

nufle-

nuflexione venerentur Episcopum Diæcesanum Rochetto & Mozetta ornatum; sicut etiam Archiepiscopum in Provincia sua existentem; & Cardinalem ubivis locorum; sed aliis Prælatis solum inclinant se profundè. Regulares in simili casu easdem genuflexiones præstant, quas & sacri Ministri. 3tiò. Quod ex usu communiter recepto peritorumque Cæremonialistarum sententia universi qui choro intersunt si Sacerdotes sint, vel si trabis induti sunt, quamvis Sacerdotes non fuerint, tantummodo inclinant se profundè Episcopo Diæcesano & aliis, qualicunque sint habitu ornati. 4. Quod si Episcopus Diæcesanus non in sede propè altare sed in primaria chori sede collocatus sit, salutaretur ab altaris Ministris in principio & in fine Missæ tantum; & quando ad sedem ipsius conferunt se sub tempus Missæ, quo casu chorum quoque postEpiscopum salutant, quoties intrant vel exeunt juxta generalem regularem. Quodsi collocatus fuerit prope altare nec intrandum sit in chorum ut ad sedem ejus deveniatur, sicut in aliis Ecclesiis, ubi distat ab altari chorus, sufficiet in hoc casu altare pertranseundo & Episcopum in accessu & recessu salutare, insalutatò chorò.

XXTI. Adverte 6tò. Quòd in Missis quæ pro Defunctis celebrantur coram Episcopo Diæcesano & cæteris prænominatis, eædem Cæremoniæ servata proportione observandæ sint, hîs exceptîs quæ in aliis solemnibus Missis pro Defunctis prætermittuntur. 1. Confessionem absolvit cum Celebrante. 2. Ad Offertorium incensum duntaxat benedicit omissis osculis cochlearis & manûs, solusque post Celebrantem incensatur. 3. Flectit genua in genuflexorio ante altare toto tempore Orationum; & à *Sanctus* inclusivè usque ad *Pax*

Domi-

Domini exclusivè, ut habetur numero 16. 4 Nec aquam benedicit, nec pacem recipit, nec in fine Missæ benedictionem impertitur, neque etiam promulgantur Indulgentiæ [o] cætera verò de more solito fiunt.

(o) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 12.*

MA-

MANUALE
CÆREMONIARUM ROMANARUM
PARS TERTIA
De Officio Divino
ARTICULUS I.
De solemnioribus Vesperis ab initio ad Capitulum.

I. Hora instante datoque signo conveniunt Officiales cum Clero in sacristiam sicuti dictum est part. 2. Art. 1. num. 3tiò de Missa solemni, induunt se omnes superpelliceis; Celebrans verò & Assistentes paulò ante egressum Cleri ornant se insuper Pluvialibus [p] Interim altaris majoris cereos unà accendunt ambo Acolythi; à Celebrante priusquam Pluviale induat, vel à chori Præfecto, aut ab alio ad id deputato Officium Commemorationes, & alia si quæ sint speciatim observanda clara voce denuntiantur. Datô signô postea in chorum eundi procedit Clerus quemadmodum habetur loco mox citato.

II. Si cum Clero Celebrans, & capparii processionaliter ituri sint per majorem portam, quæ infra chorum est è regione altaris, per quam eos intrare decet solemnioribus Festis, tunc Acolythi ambo quos immediatè sequitur Cæremoniarius inclinatione profunda Crucem sacristiæ venerati præ-

(p) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 3.*

eunt

eunt detecto capite, illi quidem candelabra sua deferentes, hic verò biretum suum præ manibus habens, facta deinceps in ingressu ad chorum debita salutatione altari collocant se ante sedem Celebrantis facie ad se invicem conversa, stanteque Cæremoniario à dextris dignioris Acolythi: qui Clerum componunt bini & bini sequuntur præeuntibûs minus dignîs [q] cunctisque salutantibus altare in eodem loco, ac recedentibus ab invicem ad utramque partem præmissa sibi mutua inclinatione, sed eos qui præcesserunt non salutant, stantque deinceps penes scamna sua versis ad se faciebûs. Pari modo sequuntur bini & bini si plures adsint capparii tecto capite incedentes ac junctîs manibûs omnes, [r] præter duos illos qui Celebrantem comitantur quippe qui manum unam occupatam habent in sustentanda cappa illius per anteriorem partem, alteram verò pectori applicatam tenent. Caput detegunt intrantes in chorū & in eodem loco bini ac bini genuflectunt si fuerit in altari Sanctissimum Sacramentum, vel solum inclinant se profundè si Crux tantummodo fuerit; [s] postea salutant utrinque chorum incipiendo à dignioribus ex parte Epistolæ; collocant se deinde penes Acolythos ante Celebrantis Cathedram, qui quidem Celebrans, postquam easdem salutationes & altari & choro exhibuit medius inter ambos digniores capparios, sedem suam conscendit, tuncque ab omnibus cappariis & Acolythis ad ipsum conversis salutatur inclinatione mediocri, vel profunda, pro majori vel minori

(q) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 15.* Bauldr. *pa.t. 2. cap. num. 3,* (r) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 3.* (s) Cærem. Episc. *supr.*

sua

sua supra illos dignitate; [t.] quos vicissim resalutat sed minorî semper inclinationê; ista servantur ab omnibus in simili casu. Acolythi postea recedunt primi transeuntes per medium aliorum ut Candelabra sua deferant ad utrumque Altaris angulum, ubi cereos suos extingvunt genuflectentes (*) ante & post in plano ante medium Altaris, Chorumque in reditu salutantes dum ad loca sua tendunt; interea Capparii vadunt ad sedes suas (u) & orant aliquamdiu ante illas flexis genibûs una cum omnibus Choro adstantibus: cumque Cæremoniarius capitis inclinatione signum dederit Celebranti ut se erigat, surgunt omnes simul sedent ac capita tegunt. (x)

III. Si Clerum immediate non sequantur Officiales, tunc ad Chorū procedit Clerus, (quomodo superius) non præcedentibus Acolythis, cumque omnium dignissimus ad locum suum pervenit, orationem suam absolvunt omnes flexîs genibûs, postea sedent, teguntque capita (uti dictum est.) Paulò post adventum Cleri in Chorum, Capparii cum Acolythis in lineam rectam, à lateribus Celebrantis in sacristia, (si capax fuerit locus,) ordinatis inclinant se cum illo profunde Cruci, deinde mediocriter ipsi Celebranti, qui resalutat illos capitis inclinatione; tum Acolythi quos sequitur Cæremoniarius priores incedunt, post ipsos eunt Capparii bini & bini, & ultimo venit Celebrans inter ambos digniores [y] (qui gerunt sese prout dictum

(t) Cærem. Episc. *l. cap. 18.*

(*) Usus obtinuit in multis Ecclesiis, quod Ministri Cælebrantis & alii de Clero tam in vesperis quàm in aliis Horis Canonicis Crucem Altaris ad quod Officia Divina celebrantur salutent profunda solum inclinatione. (u) Bauldr. *part. 2. cap. 11. Art. I. num. 10.* (x) Braulion *part. I. sect. 2. cap. 1.* Bauldr. *part. I. supr.* (y) Braulion, *supr.*

est

eſt ſupra) poſitô quod ingreſſus fiat per eandem inferiorem portam ex oppoſito altaris: aſt ſi juxta uſum magis conſvetum ingrediantur à latere Chori rectà tendunt ad altare, quo pervenientes detegunt capita, nec in tranſitu Clerum ſalutant collocant ſese ambo Acolythi, ad oppoſitum utriusque anguli altaris, penes infimum gradum, Cæremoniarius vero, ad ſiniſtram dignioris Acolythi Capparii ſi plures ſint quam duo, collocant ſe utrinque ante gradus altaris; ſed qui in illa parte ſunt per quam tranſiturus eſt celebrans, removent ſê paulisper à gradibus ut liberum tranſitum relinquant & ipſi, & aliis Cappariis, quibus advenientibus, ſeſe adjungunt, tum omnes in linea recta diſpoſiti debitam altari ſalutationem exhibent, quâ exhibitâ genuaflectunt in ultimo gradu, ubi precatiunculam ſuam abſolvunt, quâ durantê, Clerus qui ſe in pedes erexit, ex quo pervenerunt alii ad altare [niſi ab eo longè diſſitus ſit chorus] ſtat capitê detectô, donec in locis ſederint. Poſthanc precatiunculam ſurgunt, altare denuo ſalutant ut ante, deinde chorum ex utraque parte in eum pervenientes; inceduntque detectô capitê, quô ordinê ex ſacriſtia venerunt, eodem ſe conferentes ad ſedem Celebrantis; quem, cum in eam aſcendit, cuncti Officiales ſalutant, & eô ſalutatô ad ſua loca ſe recipiunt; Acolythi quidem candelabra ſua deferentes ad altare (uti ſuperiori numero dictum eſt) Capparii verò ſeſſum euntes præmiſſa ante ſcamna ſuâ debitâ altari ſalutatione. Si tamen proxima foret altari Celebrantis ſedes ſicuti eſt in iis Eccleſiis ubi chorus non diſtat ab altari)

tari) Celebrantem non deducerent Acolythi ad ſedem, [z] ſed factâ poſt adventum ſuum genuflexionê in plano, ſalutarent ambo ex eodem loco chorum utrinque, ita tamen ut altari terga non verterent, deferentque poſtea candelabra ſua ad utrumque altaris angulum, ubi cereos extinguerent, irentque poſtea ad ſua loca, (interea) dùm Celebrans & Capparii genibûs flexîs in ultimo gradu orant aliquamdiu; prout fuſius declarabitur infra Part. 4. Art. ubi de hoc ſpeciali chori ſitu agetur.

IV. Poſtquam ſederit Clerus per ſpatium *Pater* unius, aut circiter, quô temporê vel Breviarium quiſque ſuum aperit Veſperasque prævidet, Cæremoniarius locum occupans in inferioribus ſcamnis prope Celebrantem erigit ſe primus, & illi mediocri inclinatione ſignum dat inchoandi; quô datô ſignô ſurgunt unà cum Celebrante omnes, converſique ad altare, demiſſa voce recitant *Pater & Ave* [a] deinde Celebrans depoſito ſuper pulpitum ante ſe, vel ad manus Cæremoniarii traditô biretô, intonat voce competenti *DEus in adjutorium meum intende*, ſignumque Crucis ſuper ſe ſimul efformat, dextram manum ad ſingula verba admovens, primum fronti, deinde pectori, ac demum humeris, jungensque poſtea manus; ſuſtentat interim Cæremoniarius (ſi commodè queat] dextram Celebrantis Pluvialis partem. (b)

V. Per totum verſiculum *Gloria Patri* inclinant ſe profunde [c] omnes verſùs altare; cumque

(z) Cærem. Epiſc. *lib. cap.* 3. (a) Bauldr. *part.* 2. *cap.* 11. *Art* 1 *num.* 11. & 12. Gavant ſect. X. Cap. II. *de Cærem. ad Hor. Canon. adhiberi.* (b) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 3. Gavant. *ſupr.* Bauldr. *ſupr.* Braulion. *ſect.* 2. *cap.* I. *num.* 6. (c) Cærem. Epiſc. *ſupr.*

P 2

que canitur *ſicut erat*, confert ſe Cæremoniarius ad primum ex Cappariis; quem inclinatione mediocri invitat ut Antiphonam veniat annuntiatum, cui invitationi, correſpondet ipſe Capparius qua par eſt inclinatione, ſalutatque Capparium vicinum ſuum, deinde ſalutatô competenter altarî, procedit una cum Cæremoniario ad Celebrantem, quem ambo advenientes ſalutant uti dictum eſt num. 2. atque poſt decantatum *Alleluja* vel *Laus tibi Domine* añuntiat Capparius mediocri voce Antiphonam, quâ deinde per Celebrantem intonatâ, ſalutant eum ut ante, & una ſicut veneruntita revertuntur, iisdem ſervatîs ſalutationibûs quas ante peregerunt. [d]

VI ·Adverte 1mò. Cæremoniarius dum aliquem intra Officii Divini ſolemnia deducit, à ſiniſtris ejus & aliquantulum à tergo incedit, eumque ſalutat ante, & poſt, inclinatione dignitati ejus accommodata, cui ille competenti ſalutatione reſpondet. 2dò. Celebrantem quotiescunque ante ipſum tranſit Cæremoniarius vel alius quivis, ab eo ſalutandum eſſe modo ſupra relatô.

VII. Decantatâ Antiphonâ, Cantores ſeù Choriſtæ duo, ante pulpitum intonant primum Pſalmum ad mediationem usque: juxta notatum in Antiphonario tonum; tunc ſedent omnes & capita tegunt; [e]ſed ii ſoli verſiculnm pergunt, qui in illa parte ſtát in qua & Celebrans; in iis tamen choris, ubi plures reperiunturClerici cantûs adhuc ignari, multò convenientius: ut ab iisdem Choriſtis, primus cujuslibet Pſalmi verſiculus decantetur totus, cæteris tonũ indicandi cauſa; hisque in caſibus qui ex parte Celebrantis ſunt licèt nihil de verſiculo primo cantaverint;

(d) Cærem. Epiſc. *ſupr.* Gavant & Bauldr. *ſupr.* (e) Cærem. Epiſc. *ſupra* Gavant. & Bauldr. *ſupr.* (f) Cærem. Epiſc: *ſupr.*

verint; ſecundum tamen cantare ſinent iis qui ex altera ſunt parte: quod & iſti ſimiliter obſervant proportione ſervata ad ſequentem Pſalmum & ſic de aliis.

VIII. Ad *Gloria Patri* cujuscunque Pſalmi, Celebrans, & alii omnes capita detegunt non ſurgentes, ſeque profundè inclinant (f) dextrâ biretum tenentes ſupra genu uſquè ad *ſicut erat* excluſivè; qua de re Cæremoniarius qualibet vice Celebrantem admonet inclinatione mediocri; quæ, & aliis quoque ſignum erit idem præſtandi. Statim atque inchoatur *ſicut erat* ambo Cantores ſeù Choriſtæ qui ſedent ex utraque parte chori erigunt ſe, vicinos ſuos proximiores è locis ſuis ſalutant, (à quibus non erectis ſed ſedentibus reſalutantur, ſola capitis apertione] veniuntque ad medium ante pulpitum, ubi ſalutatîs Cappariîs, ſeſe mutuó ſalutant & altare, [g] Expletô verſiculô, ſoli repetunt priora verba Antiphonæ, quam ad finem uſque proſequitur chorus; aut ſi organa pulſentur Antiphonam totam recitant interim clara & intelligibili voce; (h) intonatôque(uti dictum eſt ſupra) verſiculô primo cujuslibet Pſalmi, ſalutant altare ſeſe invicem & Capparios; ac deinde proximiores vicinos ſuos dum ad loca ſua perveniunt, niſi ad pulpitũ illi cum iſtis, cantatum irent, tunc enim nec ante, nec poſt, ſalutarent eos.

IX. Dum quælibet Antyphona repetitur, ire debet Cæremoniarius, ut eũ, cui ſequentem Antyphonam præintonare competit, Choriſtam capi is inclinatione præmoneat, deducatque ad unum ex dignioribus adſtantibus in illa parte, ubi ea debet Antyphona intonari. Quocirca notandum venit: 1*mo*. quòd incipiat Cæremoniarius ab illo cantore qui in ca

(f) Cærem. Epiſc. *ſnpr.*
(h) Bauldr. *part.* 2. *Cap.* 11. art. 1. *num.* 20. (in) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *Cap.* 1.

ea parte non eſt in qua Celebrans, ſicque alternatim pergat; & quod ſolemnioribus Feſtis ambos ſimul Cantores ducat, quamquam non ab ambobus, ſed ab unico Antyphona denuntietur. 2dò. quod à Cæremoniario Cantoribusquè is, cui prænuntiatur Antyphona inclinationè reſpectivè debita ſalutetur, & illos competenter reſalutet, ſtans in pedes erectus ac aperto Capite; (i) niſi adhuc cantaretur præcedens Antyphona, in hoc quippe caſu tantum illis advenientibus caput aperit, & rurſum tegit, quoad finita ſit Antyphona, tum erigit ſe cum illis omnibus qui ex eadem ſunt parte, exceptis celebrante (ſi in ea fuerit) & ſuperiore loci nec non aliîs Sacerdotibûs, ſi is, cui Antyphona præintonatur inferioribus duntaxat Ordinibus initiatus fuerit; (k) Antyphonâ autem per Cantorem præintonatâ ac deinde per aliquem ex dignioribus Choro adſtantibus intonatâ, ſalutant illum denuo, qui ſtatim ſedent cum eis, qui in eadem parte ſtabant; reducente interim Cæremoniariô Cantorem ad pulpitum; quomodo dictum eſt ſupra de primo Cappario. 3. Quod ſatagere debeat Cæremoniarius, ut iis ſolum præintonetur Antyphona quos prius novit illius, ut oportet, intonandæ capaces: ſiquis vero reperiatur in dignioribus locis Sacerdos extraneus, ſuperpelliceô indutus, expedit ab eo reſcire, an ipſi gratum fuerit, ut ſibi Antyphona præintonetur, quodſi ex inadvertentia præintonaret Cantor alicui non valenti ut par eſt intonare, deberet illico Cæremoniarius nutu efficere, ut ſequenti præintonet.

X: Circa finem ultimi Pſalmi, bireta ſua deponunt ambo Acolythi in locis ſuis, progreſſique tanti-

(i) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *Cap.* 3. (k) Bauldr. *part.* 2. *num.* 9. & Braulion. *part.* 1. *ſect.* 2. *num.* 8.

tantiſper verſus medium utrinque Chorum, primum tamen ex parte celebrantis ſalutant, brachiis in modum Crucis ſupra pectus compoſitis, eunt deinde ſimul genuflexuri prope ultimum gradum in plano, & ante medium Altaris; (l) quâ factâ genuflexione, aſcendunt ambo quisque ex ſua parte ad Altaris utrumque cornu, cereos accendunt, deinde bacillis loco ſuo repoſitis, Altare detegunt; tapetem complicantes priusquã ſua accipiant candelabra.

XI, Acolythi candelabra præ manibus habentes ſtant in pedes erecti in eodem loco converſi & inclinati ad altare, quô tempore canitur verſiculus *Gloria Patri*, niſi admodum brevis ſit ſequens Antyphona: ut in Dominicis per annum contingere ſolet, namque ſatagerent in eo caſu ut eſſent tempore *Gloria Patri* infra gradus, ex oppoſito medii Altaris, ibique perſtarent inclinati verſus Altare uſque ad *ſicut erat*, tum in plano genuflexione ante medium Altaris factâ, Chorum ſalutant ut ante, conferuntque ſeſe, ad celebrantis Sedem, quem ſi fieri poteſt ſalutant eo tempore, quô & Capparii; [m] qui paulò ante in locis ſuis Altari ſalutatô, illuc à Cæremoniario deducentur quemadmodum ſupra de primo Cappario dictum eſt: convertunt ſe poſtea omnes faciè ad faciem, ſtantes ſcilicèt Acolythi penes Celebrantem, Cæremoniarius verò ad dignioris Acolythi dextram, ac tandem juxta ordinem ſuum Capparii. (n) Quod ſervandum venit, quoties ante celebrantis ſedem unà reperiuntur omnes.

ARTI-

(l) Bauld. *part. cap.* 11. *num.* 22. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *Cap.* 3. Gavant. & Merat. *ſupr.* (m) Cærem. Epiſc. *lib.* *Cap.* 3. Gavant. *ſupr.* Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 5. *Cap.* 8. *num.* 8. (n) Cærem. Epiſc. *ſupr.* Bauldr. *ſupr.* Merat. *ſect.* 2, *Cap.* 3. num. 6.

ARTICULUS II.

A Capitulo ad finem usque Vesperarum.

I. ULtimâ Antyphonâ omnino decantata, surgunt omnes in Choro, vertuntque se ad Altare & elatâ voce cantat Celebrans junctis manibus (o) Capitulum, apposito ante se supra pulpitum, vel per Cæremoniarium si necesse fuerit sustentato Breviario: Chorus autem respondet in fine *Deo gratias*. Celebrantem competente inclinatione salutat primus Capparius, eique præintonat Hymnum, quô postea per Celebrantem intonatô, Acolythi, Capparii cum Cæremoniario, omnes simul salutant illum, & ad locâ sua recedunt, [p] sed priores transeunt Acolythi, per mediam inter Capparios viam, suaque priùs Candelabra deferunt ad Cancellos si adsint, vel ad infimum Altaris gradum: [q] quô casu Altari genuflectunt ante, & post, in medio, supra pavimentum; salutantque deinceps Chorum intrantes in eum.

II. Tempore primæ strophæ Hymnorum *Veni Creator Spiritus*, & *Ave Maris Stella* genibus innituntur Capparii, & omnes in Choro; quin & ipse flectit Celebrans intonato primo versu, (r) soli stant eo tempore Acolythi erecti, cunctîs postea surgentibus, recedunt Acolythi & Capparii; prout numero superiori habetur:

III.

(o) Cærem. Episc. *supr.* (p) Cærem. Episc. *supr.* Gavant. & Merat. *supr.* (q) Bauldr. *part.* 2. *Cap.* 11. Art. 1. *num.* 24. (r) Gavant. & Merat. *supr.* Braulion. *part.* 4. *appendice* 3. *Cap.* 3.

III. Sub finem Hymni vel citius si opus fuerit exit ex Choro Thuriferarius, & Chorô & Altari rite salutatís, confert se in Sacristiam, ubi acceptô Thuribulô cum Carbonibus ignitis in eo, per Sachristam præparatis, donec abeundum sit expectat; (s) eodem tempore postremi ambo si plures sint Capparii, ad medium Chori a Cæremoniario deducuntur, ubi factâ Altari debitâ salutatione, Versiculum modô consvetô canunt, (t) toto Clero interim ad Altare converso; postea salutatô Altari denuo ad sua revertuntur loca. Sed si duo tantum adsint Capparii, qui alterô dignior est; si vero adfuerint plures, omnium dignissimus â Cæremoniario intereà dum in Choro cantatur versiculi responsorium, ad Cælebrantem deducitur, ut ei præintonet Antyphonam ad *Magnificat*, reliqui interim Capparii stant in suis locis, cumque primus rediit, sedent omnes, capitaque tegunt, sicut & ii qui Choro intersunt, manentque ita per illud tempus, si Officium sit duplex quô canitur Antyphona, [u] solis illis qui ad pulpitum canunt Clericis, in pedes erectis, capiteque detectô perstantibus.

IV. Si non distet ab Altari Chorus, perstant in locis suis Acolythi tempore *Magnificat*, neque Celebrantem comitantur, ad Altaris thurificationem; (a) sed si distet, sub finem Antyphonæ acceptum eunt Candelabra sua, salutatîs ut par est tam Choro, quam Altari, ut ad Celebrantem veniant, quemadmodum venerùnt ad capitulum. Finitâ autèm Antyphonâ, erigunt se omnes tum cum intonatur solemniter â Cappariis *Magnificat*, ad mediationem,

(s) Merat. *supr.*
(t) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 3. (u) Cærem. Episc. *supr.* Bauldr. *supr.* Merat. *supr.*

tionem, vel ad finem usque primi versiculi juxta superius dicta Art. 1. tum depositis supra scamna sua biretis, salutatôque Altari, conferunt se Capparii duce Cæremoniario ad celebrantem, quem una salutant si fieri potest cum Acolythis, qui eodem tempore illuc pervenire conantur, quo pervenerunt & cæteri.

V. Intonatô canticô *Magnificat*, Celebrans facit sibi signum crucis, à fronte ad pectus, [x] mox salutat è loco suo tam pro se quam pro Officialibus suis, ambas chori partes, ab ea incipiendo in qua est, cui salutationi totus debet clerus respondere mediocri saltim inclinationê, tum depositô biretô, celebrans descendit è cathedra & ad Altare junctis manibus progreditur, medius inter ambos digniores capparios, à quibus pluviale ejus ex utraque parte sublevatur; cæremoniariô cæterisque si adsint cappariîs præcedentibûs post Acolythos junctîs quoque manibûs, ac eodem quo in chorum venerunt ordine; atque ut Altari appropinquant separant se hic, & inde, seque in rectam lineam collocant penes ultimum gradum, quô perveniens Thuriferarius cum navicula & thuribulo, illis se eodem tempore adjungit, constituens se capparios inter & Acolythum; Altare venerantur omnes competenti salutatione, puta genuflexione semper inferiores Ministri; celebrans vero cum cappariis inclinatione profundâ, si non fuerit Sanctissimum Sacramentum, vel genuflexione si adfuerit, etiamsi in Tabernaculo reclusum. (y)

VI. Ascendit postea celebrans ad Altare inter ambos digniores capparios illudque osculatur in medio

(x) Gavant. & Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (y) Cærem. Episc. *supr.*

dio [z] nec ulla tunc fit inclinatio, aut genuflexio ab istis cappariis, neque etiam a cæremoniario & Thuriferario qui eodem tempore suppedaneum Altaris conscenderunt in cornu Epistolæ, cæteri verò omnes stant immoti iufra gradus facie ad Altare conversa. [a] Postquam Altare uti dictum est osculatus est celebrans, vertit se ad Thuriferarium, moxque primo cappario non sine osculis consvetis ministrante cochlear recipit, immittit benedicitque incensum, sustentante interim altero cappario dextram illius pluvialis partem; [b] tum Altare thurificat nihil dicens [c] prout habetur in Missa Solemni Part. 2. Art. 3. n. 4. & 5 Ambo vero capparii stantes á lateribus ejus sustentant hinc & inde Cappam antrorsum, toto thurificationis tempore cæteraque observant quæ in eodem Articulo continentur; sicut & cæremoniarius atque Thuriferarius.

VII. Peractâ Altaris Thurificatione stans ad cornu Epistolæ in secundo gradu primus capparius è manibus celebrantis cum osculis consvetis thuribulum recipit, illudque illico tradit Thuriferario; reversus postea celebrans ad medium Altaris medius ipse inter ambos capparios una cum illis inclinat se Cruci, & ad planum infra gradus descendit, ubi Officiales seu Ministri omnes eandem exhibent Altari debitam reverentiam, ac in adventu suo; stante tunc Thuriferario ad sinistram dignioris Acolythi, cæremoniari9 verò ad dextram alterius. Ad chorum posthac progrediuntur, eoque ad ingressum

(z) Cærem. Episc. *supr.* (a) Bauldr. *supr. num.* 32. (b) Braulion. *part.* 1. *sect. cap.* 1, *num.* 12. (c) Gavant. *supr.* Braulion. *supr. num.* 17. Bauldr. *part. cap.* 9. *art.* 2. *num.* 21.

greſſum ſalutato, Celebrantem ad Sedem deducunt, eodem ordine, quo illum ad Altare perduxerunt. [d)

VIII. Adverte 1. quod ſi celebrans exire debeat extra chorum ad Altare aliud, aut Reliquias aut Imaginem thurificandam, ſecundum conſvetudinem locorum, præcedere debeant Acolythi, quos ſequuntur capparii cum Celebrante coopertis capitibus ordine ſupra dicto. 2. quod incenſum non benedicatur, niſi ad Altare quod primum thurificatur. 3. Quod ſi Imago aliqua vel Reliquiæ in quodam Altari repoſitæ thurificandæ ſint, triplici thuribuli ductu incenſatur, (e) non incenſato Altari.

IX. Celebrans poſtquam ad ſedem ſuam pervenit, dignior Capparius accepto è manibus Thuriferarii thuribulo ter illum incenſat, factâ ante & poſt inclinatione convenienti, cui reſpondet Celebrans capitis inclinatione; ac interim Thuriferarius ſuſtentat dextrorſum Trabeam ejusdem Capparii, & easdem quas ipſe inclinationes exhibet. Reliqui vero Miniſtri vertunt ſe facie ad faciem, eumque non ante, ſed poſt thurificationem, una cum digniore Cappario ſalutant, ut ſe recipiant omnes ad loca ſua; [f] exceptis Acolythis ſi adſint, qui ante Celebrantis ſedem perſtant faciē ad ſe invicem converſa.

X. Si quis magnæ notæ ſivè Eccleſiaſticus ſive Laicus interſit, quem oporteat thurificare ante Capparios & Clerum iuxta dicenda inferius Part. 4. Art. 6. n. 4. dignior Capparius poſt Celebrantis thu-

(d) Cærem. Epiſc. *libr. 2. capi* 3. Gavant. & Merat. *sect. X. Cap. III. de Cœr. ad Hor. Can.* (e) Caſtald. *lib. 2. ſect. 1. Cap. 2. num. 11*, & Bauldr. *part. 2. cap. 9. art. 4.* (f) Bauldr. *part. 2. cap. 11. Art. 1. num.* 34. & 35.

thurificationem ad illum per Cæremoniarium deducitur, eumque ter incenſat. (g) Poſtea locum ſuum repetit reddito priùs thuribulo Thuriferario: qui thurificat primū Capparios, duplicī ductū ſingulos, [h) facta ante & poſt inclinatione mediocri: illi qui incensatur prius hūc honorem capitis inclinatione defert ad eum, qui immediate poſt ipſum thurificandus eſt. (i) Deinde Thuriferarius Clerum & populum incenſat ubi dictum eſt ad Offertorium Part. 2. Art. 7. num. 11. & 12. Quodcirca tamen iſta ſunt ſpecialiter obſervanda in Veſperis ſolemnibus. Ac. *1mo* quidem Thuriferarius Acolythos non incenſat, ſi tunc illi ſua ſuſtineant Candelabra coram Celebrante, prout ſupra dictum eſt. 2. ſi tempore thurificationis decantetur *Gloria Patri* ſiſtit ſe Thuriferarius in loco ubi reperitur ſtatque mediocriter inclinatus verſus Altare ad *Sicut erat* excluſive. (k) 3. Si Chorus nondum ſit plane thurificatus cum incipit Antyphona repeti, ſtant omnes ex utraque parte Chori in pedes erecti, donec penitus ſit peracta Cleri Thurificatio. (l) 4. Si nondum finita ſit incenſatio quando dicit Celebrans *Dominus Vobiſcum* ante Orationem, deſiſtere debet Thuriferarius ab incenſatione, (m) & ad Sachriſtiam reverti, Choro & Altari de more ſalutatis.

XI. Circa finem Antyphonæ deducit Cæremoniarius Capparios ad Celebrantem, ſerva tis ſalutationibus ſupra memoratis; ſi que Acolythi non ſint iam ante ſedem Celebrantis iuxta ſuperius dicta num.

(g) Cærem. Epiſc. *libr. 1. Cap.* 23. & *libr. 2. cap.* 3. (h) Bauldr. *ſupr.* (i) Cærem. Epiſc. *libr. 1. cap.* 23. (k) Gavant. & Merat. *ſupr.* (l) Cærem. Epiſc. *ſupr.* Bauldr. *part. 2, Cap. 9. art. 5. num.* 2. (m) Cærem. Epiſc. *libr. 2. Cap. 1.*

num. 4. illuc perveniunt, candelabra sua deferentes, simul ac Capparii, & illum unà venerantur omnes; at si permanserunt ante ipsius sedem post incensationem Altaris & ipsius, (quod cōvenientius est in Choris ab Altari distantibus,) stant facie ad se invicem conversi, nec in adventu Cappariorum Celebrantem salutant. Capparii autem facie ad faciem conversa perstant eodem situ per Orationem, & sequentes si habeantur commemorationes. Cantores ad pulpitum stantes intonant interim Antyphonas & versiculos cantant in eodem loco, (n) & Celebrans cantat Orationes: universìs qui Choro intersunt stantibûs facie ad se invicem per Antyphonas, ad Altare verò per versiculos, & orationes conversâ.

XII. Sub finem conclusionis ultimæ Orationis si plures dicantur, post hæc verba *Jesum Christum*, vel ad ista *Qui vivis & regnas* ambo illi Capparii à quibus cantatus est versiculus Hymni, cantatum eunt in eodem loco *Benedicamus Domino*, (o) salutantes Altare ante, & post, sicut etiam Celebrantem cum ab illo recedunt, & ad eum revertuntur; Postquam responsum est *Deo gratias* profert Celebrans voce mediocri *Fidelium animæ* Sique tunc dicendum sit Completorium, Capparii & Acolythi inclinant se celebranti, qui solus Chorum utrinque salutat pro omnibus sicut ad *Magnificat*, resalutaturque à toto clero, qui se idcirco ad illum convertit. Quibus peractis Celebrans & Ministri ad Sacristiam eodem ordine revertuntur

tur

(n) Cærem. Episc. libr. 2. *Cap.* 3. Gavant. & Merat. *supr.* (o) Bauldr. *part.* 2. *Cap.* 11. *art.* 1. num. 43. Castadl. *libr.* 2. *sect.* 5. *cap.* 8. *num.* 17.

tuntur quô advenerunt; (p) Altare transeundo salutantes in loco competenti iuxta ordinem quem servant in progressu. Celebrans & Capparii capita tegunt in exitu de Choro, & in adventu ad Sacristiā gerunt sese, prout dictum, de reditu ex Missa.

XIII. Si Completorium non sit immodiate post Vesperas cantandum, Celebrans postquam dixit *Fidelium animæ* ut supra, ac deinde *Pater noster* secreto, subjungit, voce mediocri *Dominus det nobis suam pacem*, respondente Choro *& vitam æternam Amen.* Post hæc inchoat Celebrans eodem tono Antyphonam de Beata Virgine quam Chorus totus prosequitur absque cantu, omnibus interim vel in pedes erectis, vel in genua provolutis, prout exigit ratio temporum. Celebrans in eodem situ adjicit versiculum & postea Orationem, quam semper oportet stando recitare; subjungitque tono demissiori. *Divinum auxilium.* (q) In multis tamen Ecclesiis Antyphona Beatæ Mariæ cum terminantur Vesperæ cum graviori modulatione decantari solet; dicto enim per Celebrantem *Dominus det nobis*, dignior Capparius præintonat Celebranti Antyphonam de B. Virgine, quam ille gravi tonô præcinit, Chorusque totus eam prosequitur in cantu, genuflectens, vel stans, secundum Rubricas Breviarii: finitâ Antyphona, Cantores versiculum cantant in medio, tùm Celebrans Orationem stans dicit, subjungitque demissiori tono *Divinum auxilium* Choro respondente *Amen.* Tum ubi moris est genuflexus recitat Orationem *Sacrosanctæ & individuæ*, quam omnes genuflexi cum ipso dicunt tonô gravi, & adjungunt *Pater* & *Ave.* Tandem surgentibus omnibus Celebrans cum Ministris suis ad Sacristiam redit uti habetur numero præceden-

(p) Cærem. Episc. *supr.* (q) Cærem. Episc. *supr.* Merat. *supr.* Bauldr. *supr.*

ti; sivè ante Clerum si separatim venerint, sive immediate post Clerum si venerint simul. Serventur autem in reditu ad Sacristiam quæ relalata sunt in fine Missæ solemnis Art. 10. n. 8. &. 9.

ARTICULUS III.

De COMPLETORIO.

I. SI statim post Vesperas, ut est multorum locorum consvetudo dicatur Completorium, cum Celebrans Sacristiam repetens ostium Chori jam attingit, tunc dignior è Cantoribus seù Choristis vertit se ad Hebdomadarium, dicitque in tono convenienti cum inclinatione *Jube Domne benedicere*, maneat autem inclinatus ad finem usque benedictionis, (r) cui quidem benedictioni Clerus ad Altare conversus respondet *Amen*; tum idem Cantor recitat lectionem *Fratres sobrii estote* &c. genuflectitque ad hæc verba *Tu autem Domine* (s) respondet Chorus eodem tono *Deogratias*. Dicit postea Hebdomadarius você mediocri *Adjutorium* signum Crucis efformando cum iis omnibus, qui Choro intersunt, (t) tum recitat secreto *Pater noster* deindè *Confiteor* voce gravi & inclinatus mediocriter vertens se ad chorum dum profert *& Vobis Fratres & vos Fratres*. Clerus autem stans conversus facie ad invicem easdem servat Cæremonias, dicens post ipsum *Confiteor*, & signum Crucis cum illo producens ad *Indulgentiam*. [u]

II. Post hæc intonat altâ você Hebdomadarius *Converte nos DEUS* [a] *DEUS in Adjutorium* efformatô signô crucis cum omnibus Choro adstan-

(r) Cærem. Episc. *supr.* Gavant. *supr.* Bauldr. *supr.* Braulion. *supr.* (s) Braulion. *Part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 2. & 3. (t) Bauldr. *part.* 1. *cap.* 14. num. 1. Braulion. & *supr. cap.* 3. (u) Bauldr. *supr.* & *cap.* 7. num. 2. Castald. *lib.* 2. sect. 1. *cap.* 6.

stantibus tunc ad Altare conversis. Cætera fiunt sicut ad Vesperas, si duo ista excipias. 1*mo.* quod primus chorista non præintonat Hebdomadario Antyphonam *Miserere* vel *Alleluja* ante primum Psalmum, nec Hymnum, nec Antyphonam *Salva nos* ante canticum *Nunc dimittis*, sed ei tantummodo dat signum inclinationê mediocri non recedens à pulpito ut ista intonet quando opus est. 2. quod Hebdomadarius non thurificet Altare ad canticum *Nunc dimittis*; [x] quod ad ipsum neque Acolythi neque Cantores veniunt pro Capitulo post Hymnum, sed postquam respondit Clerus in fine Capituli *Deo gratias*, ambo Cantores intonant in medio Chori responsorium *In manus tuas*.

II. Repetitâ in choro Antyphonâ *Salva nos*; si non occurrat Festũ duplex, aut dies infra octavam, recitantur preces in fine Completorii præscriptæ, sivè stando, sivè genibûs flexis pro ratione temporum, proferente Hebdomadario versiculos, Clero autem responsoria, atque singulis se mediocriter inclinantibus ad versiculum *Benedicamus Patrem*, atque post Orationem ad *Benedicat*, quo tempore fit insuper signum Crucis (y) Tum Antyphonam de Beata Virgine intonat Hebdomadarius; quæ quidem Antyphona semper in fine Completorii canitur, etiamsi post alias horas tantummodo recitetur; omnes interim genuflectunt, exceptis diebus Dominicis à primis Vesperis ad secundas inclusivè; excepto quoque tempore Paschali. Ambo Cantores versiculum dicunt genibûs flexîs, si Clerus in Choro genua flectat, sed Hebdomadarius nunquã nisi stãdo dicit Orationem

(x) Braulion. *supr. cap.* 3. (y) Cærem. Episc. *lib.* 2 *cap.* 4. Gavant. *supr.* Braulion. *supr.* cap. 1

nem, quâ abſolutâ, profert você mediocrî *Divinum auxilium*; & poſtquam recitavit ſubmiſsâ você cum omni Clero *Pater. Ave & Credo* genuflexus vel ſtans, prout ad Antyphonam Beatæ Mariæ, (z) recitat ubi moris eſt orationem *Sacroſanctæ* genuflexus, quam omnes cum ipſo dicunt voce gravi, genuflexi, & adjungunt *Pater & Ave* ſubmiſsâ você. Tunc autem Acolythi bireta ſua præmanibus habentes eunt inſalutatô chorô extinctum cereos Altarîs, genuflectentes ante & poſt, ad medium in plano. Denique ſignô datô per Superiorem redeunt omnes in Sacriſtiam.

IV. Adverte 1. Quod quam primum Officiales Veſperarum Ornamenta ſua depoſuerint in Sacriſtia, redeant in chorum præeuntibus minus dignis; & exhibitis competentibus reverentiis, ſed antea non flectunt genua ut orent; nec in via ſua morantur, præterquam in caſibus annotatis infra, ubi de Cæremoniis ad chorum ſpectantibus Part. 4. Art. 2. num. 10. 2. Quod ambo Acolythi factâ genuflexionê infra infimum Altarîs gradum eant extincturi cæreos omnes, exceptîs illîs duobûs qui magis à Cruce diſtant, idque juxta praxim ordinariam; poſtea factâ denuo genuflexionê in eodem loco, ſalutant chorum, & ad loca ſua ſe recipiunt. 3. Quod Capparii Veſperarum collocent ſeſe pro completorio juxta ordinem ſuum ad Sedes chori. 4. Quod Celebrans eandem non occupet Sedem, quam ad Veſperas occupabat, ſed eum locum, qui competit ipſi juxta dignitatem ſuam, niſi ſit Superior.

V. Si non immediatè ſed aliquandiu poſt Veſperas dicatur Completorium, ad chorum proceditur

(z) Braulion. *ſupr.* Gavant. *ſupr.* cap. 1.

tur ſicut in aliis Officiis minus Solemnibus, in quibus progreditur Clerus quemadmodum dicetur poſteà Art. 6. abſque Acolythis, & abſque Capparîis, & poſtquam omnes præcatiunculam ſuam flexîs genibûs abſolverint in locis ſuis, erigunt ſe, & inchoatur Officium; nec ſedent, nec ſe cooperiunt ante.

ARTICULUS IV.

De Veſperis Solemnibus coram expoſito Sanctiſſimo SACRAMENTO.

I. Debet eſſe Altare ornatum quomodo dictum eſt Part. 2. Art. 12. Acolythi non extingvunt cereos Candelabrorum ſuorum; & ad Completorium ſex ad minimum accenſos relinquunt.

II. Officiales deponunt pileos ab ingreſſu in chorum, & omnis Clerus per totum Officium apertô manet capitê, quamvis habitâ ratione diuturnitatis Officii poſſit more ſolito ſedere. [a]

III. Cum ingrediuntur in chorum, & exeunt, faciunt omnes genuflexionem utroque genu cũ inclinatione capitis in loco conſveto; (b) ſed inter Officii Solemnia qui progrediuntur è locis ſuis ad medium chori canendi cauſa ſivè Antyphonas, ſivè verſiculos, vel qui ab uno latere ad aliud tranſeunt, flectunt tantum unum genu ſolito more. Obſervantur etiam erga chorum conſvetæ ſalutationes, tam in ingreſſu quam in exitu.

IV.

(a) Bauldr. *part.* 4. *cap.* 16. *Art.* 6. *num.* 1. (b Gavant. & Merat. *part.* 2. *Tit.* 14. *de his quæ addenda Sacram.* Caſtald. *libr.* 3. *ſect.* 10. *cap.* 3. num. 1.

IV. Ad *Magnificat* postquam pervenit Celebrans medius inter Capparios ad gradus Altaris, una cum illis adorat Sanctissimum Sacramentum, flexis in plano genibûs, uti fecit in principio; ascendens postea cum duobus dignioribus in suppedaneum, flectit cum illis unicum genu, quod similiter faciunt Cæremoniarius & Thuriferarius, qui eodem tempore conscenderunt ad cornu Epistolæ; tum Altare osculatur Celebrans, [c] deinde retrahens se paulisper ad cornu Evangelii, incensum de more imponit & benedicit. (d)

V. Post hac nulla premissa genuflexione, descendunt terni ad secundum gradum & genua flectunt in suppedaneo: [e] primus Capparius accipiens tunc thuribulum è manibus Thuriferarii ministrat illud Celebranti, qui Sanctissimum Sacramentum ter incensat inclinando se profundé, cum ambobus suis Cappariis ante & post. Reliqui omnes Ministri qui sunt prope Altare, nituntur interea genibus in infimo gradu, sed nullo modo se inclinant; quod pariter observant in cornu Epistolæ Cæremoniarius & Thuriferarius, qui genuflectere debuerunt priusquã descenderent: erigens se postmodum Celebrans ascendit ad Altare, genuflectit, illud thurificat quemadmodum habetur Art. 3. de Missa Solemni.

VI, Finitâ thurificatione digniori Cappario Celebrans thuribulum reddit, quod ille illico tradit Thuriferario; tum terni eunt simul ad medium Altaris, ubî genuflectunt: deinde Celebrans paululum

(c) Merat. Part. IV. Tit. XII. *de Fest. Corp. Christi.* (d) Braulion. *part. 4. Cap. 3. num. 5. 6. & 7.* (e) Gavant. & Merat. Part. II. Tit. XIV. *de his quæ adden. coram SS. Sacram.* Bauldr. *part. 2. cap. 9. art. 3. num. 7.*

lũ recedit cũ Cappario ad cornu Evãgelii secũdo primus verò Capparius versus cornu Epistolæ, ne tergum directe vertatur ad Altare; descendunt ita in planum infra gradus, ubi sicut in adventu adorant genibûs flexis Sanctissimum Sacramentum, & ad chorum solito more revertuntur. [f]

VII. Exceptîs mox relatîs, cætera omnia quæ continentur in duobus prioribus Articulis Vesperarum Solemniũ observãda sunt; at verò si Sanctissimum Sacramentum oporteat ante Vesperas exponere, aut post illas in tabernaculo recludere, id servandum est quod infra referetur Part. 4. de expositione Sanctissimi Sacramenti.

ARTICULUS V.

De Vesperis Solemnioribus coram Episcopo Diœcesano extra suam Cathedralem Ecclesiam.

I. SEdes Episcopalis eô modô, disponi debet quô dictum est Art. 13. de Missa Solemni.

II. Suscipitur Episcopus à Clero ad limina Ecclesiæ prout habetur loco citato; dumque ille orat coram Altari, ordinat se Clerus in choro; postea eô ascendente ad Sedem, Celebrans & Capparii proficiscuntur è Sacristia, Altare venerantur suamque precatiunculam absolvunt more solito; Episcopum transeundo salutant, Celebrans quidem cum Cappariis inclinationê profundâ, inferiores verò Ministri genuflexionê, (g) quod observant omnes quod

(f) Bauldr. *part. 2. cap. 9. art. 3. num. 7.* (g) Cærem. Episc. *libr. 1. cap. 2.*

quotquot in chorum ingrediuntur, vel ex eo egrediuntur, vel coram Episcopo transeunt quamdiu choro interest. Canonici & Sacerdotes quicunque juxta magis communem usum inclinant se ei profundè, cæteri autem inferiores genuflectunt.

III. Celebrans antequam intonet *Deus in adjutorium* petit ab Episcopo licentiam inchoandi, inclinando se illi profundè; (h) post hac intonat prædictum versiculum, & cum Clero Vesperas solitô morê prosequitur: sed hoc discrimen est; 1. quod capitulum non à Celebrante sed ab uno è Cantoribus vel choristis cantetur ante pulpitum (i) nisi contraria viguerit loci consvetudo. 2. Quod Episcopus ipse incensum benedicat ante *Magnificat*, quo tempore canitur in choro Antyphona (k) atque si nullus adsit insignis notæ Ecclesiasticus, qui erga illum Presbyteri Assistentis munus obeat, dignissimus è Clero indutus superpelliceo tantum, ministrat ei naviculam & cochlear cum consvetis osculis. 3. Celebrans bis tantum incensatur in cornu Epistolæ, sicut in Missa Selemni; & statim post ipsum triplici ductu incensatur Episcopus, [l] sivè per suum Presbyterum Assistentem, sivè isto absente, per primum Capparium qui jam Celebrantem thurificavit. 4. statim atque decantarunt Capparii versiculum *Benedicamus Domino*, respondítque Clerus *Deogratias*, non additis his verbis *Fidelium animæ* Pontifex erectus in pedes, biretô rectus absque baculo pastorali, benedictionem dat è Sede sua, si in conspectu populi satis objiciatur; sinsecus, illam ab Altari impertitur absque

(h) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 18.* (i) Bauldr. *part. 5. cap. 2. num. 4.* (k) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 2.* (l) Cærem. Episc. *supr.*

ulla Indulgentiarum promulgatione (m) At si Archi-Episcopus fuerit, benedictionem dat detectô capitê, facta prius inclinatione ad Crucem, quam unus è cappellanis tenet in genua provolutus coram illo, (n) effigie Crucifixi ad ipsum conversa. Omnes interim excepto celebrante flexîs sunt genibûs ac profundè inclinati: postea præcipui è Clero comitantur Episcopum saltem usque ad planum, extra fores Ecclesiæ.

IV. Si Episcopus intersit completoriô, dicit in *Confiteor* Hebdomadarius & *tibi Pater*, & *te Pater* inclinatus profundè versus Episcopum, loco & *vobis Fratres*, & *vos Fratres*, atque ante *Indulgentiam* rursum inclinat se profundè Episcopo. Hoc quoque præstat sub finem Completorii antequam proferat *Benedicat & custodiat nos Omnipotens & Misericors Dominus.* (o)

V. Eædem Servantur Cæremoniæ circa Archi-Episcopum in sua Provincia, & Cardinalem in omni loco, dummodo Rochetto saltem & Mozetta induantur; sed si vel isti, vel Episcopus Diœcesanus adessent longo tantum pallio vestiti, (quam quam in hoc vestitu non debeant Officiis Divinis interesse) satis esset si ab intrantibus, & exeuntibus salutarentur, incensarenturque triplici ductu post Celebrantem, & Officii reliqua peragerentur ac si nullus adesset Episcopus.

VI. Si qui alii Vesperis intersint Episcopi Rochetto & Mozetta induti, salutantur inclinatione profundâ ab omnibus qui ingrediuntur, & qui transeunt coram illis; atque à primo cappario ter-

(m) Cærem. Episc. *supr.* (n) Cærem. Episc. *supr.* (o) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 4.*

ter incensantur immediatè post Celebrantem; qui ter quoque incensatur: quod similiter fit erga Viros Principes, juxta locorum consvetudinem: idem servaretur ex quorumdam Cæremonialistarum sententia erga eosdem Prælatos, licèt solis induerentur longioribus palliis: sed ad obviandum huic inconvenientiæ, satius est ut in majoribus Sacristiis habeatur ad minimum una vel altera Mozetta cum Rochettis, quæ Episcopis quando exiget necessitas commodari possint; quin & optimum foret, si & alia rochetta reperirentur pro Abbatibus qui intervenire possunt; istos autem extra propriam Ecclesiam, sufficit duplicî ductû thurificare post Capparios. De his adhuc Parte 4. Art. 6.

ARTICULUS VI.

De Matutino Solemni.

I. Acolythi Candelabra sua cum Cereis extinctis collocant in ambobus angulis Altaris; & Cereos Altaris quando opus est accendunt ut in principio Vesperarum.

II. Progreditur Clerus ad chorum nec præcedentibus Acolythis, nec subsequentibus ullis Cappariis; sed omnes induti sunt chorali habitu, [p] incedentes bini & bini, præeuntque minus digni juxta usum magis receptum; ordine suo procedunt Cantores, prout fert loci consvetudo, sequecollo-

(p) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 6. Bauldr. *part.* 2. *cap.* 15. num. 2. Castald. *lib.* 2. *sect.* 5. *cap.* 11. num. 2.

collocant ante pulpitum; demum sequitur Celebrans in suo habitu chorali. [q]

III. Adverte quod quamvis juxta Cæremoniale Episcoporum ita solemniter Matutinum non celebretur, ut adhibeatur pluviale à Celebrante; nihilominus cum à prædicto Cæremoniali consvetudines locorum variæ & laudabiles non sint abrogatæ, neque improbatæ; idcirco improbari non potest usus plurium Ecclesiarum etiam Urbis, ut testatur Braulion de Basilica S. Petri Romæ & aliis, in quibus non solum ad Laudes ad Vesperas, sed etiam ad Matutinum in Solemnioribus Festivitatibus adhibetur Pluviale à Celebrante [r] & assistentiâ Cappariorum juxta qualitatem Festi; tunc Celebrans cum suis Officialibus intrat chorum eô modô ut dictum est ad Vesperas, Art. 1. num. 2. & 3.

IV. Cum pervenit Celebrans ad locum suum, orant omnes aliquamdiu flexîs genibûs; erigent se in pedes quando Cæremoniarius inclinatione signum dat Celebranti, atque confestim recitant ad Altare conversi *Pater*, *Ave* & *Credo*, você submissâ: post hac cantat Celebrans competenti tonô, *Domine labia mea aperies*, signum Crucis efformando supra os suum pollicê manûs dextræ expansæ, & ad faciem conversæ; quod etiam simul producũt quotquot choro intersunt. Postquã respõsũ est *Et os meum anuntiabit laudem tuam.* Eodem tono prosequitur Celebrans *Deus in adjutorium*, signum Crucis interim producens à fronte ad pectus, sicut in principio Vesperarum; qui in Choro

(q) Cærem. Episc. *supr.* Bauldr. *supr.* (r) Braulion, *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 2. num. 1. Merat. *sect.* 10. *cap.* 4. de Cærem. *ad* Hor. Canon. Bauldr. *part.* 2. *cap.* 15. num. 28.

ro sunt idem fatiunt. (s) respondentque continuo *Domine ad adjuvandum* quemadmodum in Vesperis, ita & hic inclinant se omnes ad *Gloria Patri* profundè [t] & erigunt se ad *Sicut erat*; post *Alleluia Laus tibi Domine*: intonat uterque Cantor Invitatorium & Psalmum *Venite exultemus* Clerus facie ad huc versa ad Altare respondet, Invitatorium repetendo ut moris est. Ad hæc autem verba *Venite adoremus & procidamus ante Deum* procumbunt omnes, Celebrans etiam & Cantores in genua, surgunt postea & prosequunplo*remus coram Domino.* [u]

V. Finito Psalmo *Venite exultemus* repetitoque Invitatorio, cæremoniarius digniorem choristam, vel utrumque simul pro dignitate Festi, sed si adsint Capparii secundum consvetudinem locorum, ut diximus supra num. 3. tunc digniorem Capparium deducit ad Celebrantem, ut illi præintonet Hymnum; quô durante stant omnes facie ad se invicem versa, atque sub finem ultimæ strophæ Hymni, denuo ducet eundem Choristam vel Capparium respectivè ut supra diximus, ut Celebranti præintonet Antyphonam; quâ omnino decantatâ si Officium sit duplex, ambo Cantores intonant primum Versiculum Psalmi ex dictis Art. 1. n. 7. porro ad mediationem sedent omnes & capita tegunt. (x)

VI. Adverte quod Cantores Præintonent Antyphonas sequentes omnes, intonentque postea Psalmos, quomodo specificatum est ad initium Vesperarum

(s) Cærem. Episc. *supr.* Bauldr. *part.* 2. *cap.* 7. num. 3. & 5. Gavant. & Merat. *supr. cap.* 1. (t) Cærem. Episc. *supr.* (u) Cærem. Episc. *supr.* (x) Bauldr. *part.* 1. *cap.* 15. num. 7. Castald. *libr.* 2. *sect.* 5. *cap.* 11. *num.* 4.

sperarum; Cæremoniæ quæ ibi descriptæ tempore Psalmorum, *Gloria Patri* & Antyphonarum, eædem hic servandæ sint à choro.

VII. Dum cujusque Nocturni ultima Antyphona repetitur, ambo Cantores vel secundum usum, si adsint plures, ultimi Capparii, quos comitatur Cæremoniarius, procedunt ad medium chori, ubi factâ salutatione Altari, versiculum cantant, (y) quo tempore stant omnes erecti & ad Altare conversi; dumque chorus respondet, invitatum it Cæremoniarius eum, qui Lectionem cantaturus est, incipiendo à minus dignis; [z] invitatus Cæremoniarium resalutat stans detectô capite, salutatque post modum suos proximiores vicinos; hís peractîs procedit biretum habens præ manibus ad pulpitum, ubi cum Cæremoniario debitâm Altari facit reverentiam.

VIII. Statim atque decantatum est versiculi responsorium dicit elatâ voce Celebrans *Pater noster*: cætera prosequitur cum toto Clero submissè ad hæc usque *Et ne nos inducas in tentationem*, quæ quidem ultima verba eôdem tono profert, quo & prima; respondente postea choro *Sed libera nos à malo*, cantat Celebrans absolutionem, cui postquam respondit chorus *Amen*, vertit se illico ad Celebrantem is, qui Lectionem cantare debet: caveat autem ne dorsum quantum fieri potest, directè vertat ad Altare: jam verò inclinans se mediocriter Celebranti, dicit ei convenientî tonô, *Jube Domne benedicere*, nec prius se erigit, quam omnia prolata sint verba benedictionis. (a) Tunc Clerus

(y) Castald. *supr. num.* 5. Cærem. Episc. *supr.* (z) Cærem. Episc. *supr.* (a) Castald. *supr.* Bauldr. *supr.* Cærem Episc. *libr.* 2. *cap.* 5.

rus qui à versiculo stabat conversa ad Altare facie respondet *Amen*, deinde sedet, manetque capite tectô per lectionem & sequentia responsoria. Qui lectionem canit verba omnia profert distinctè devotè, tono ac vocis inflexione requisitis, manusque applicat ad utrumque libri latus, traditò prius biretô suo ad manum Cæremoniarii; qui quidem Cæremoniarius si opus sit lumine, tenet candelabrum cum cereo accenso. Concluditur lectio hîs verbîs *Tu autem Domine miserere nobis*, eodem tempore genuflectit Lector, [b] postea locum suum repetit, salutando quos antea salutavit, prout sese offerunt.

IX. Post Lectionem erigunt se Cantores ambo & intonant responsoria, quæ Clerus prosequitur; postea cantant ipsi soli versiculum cujuslibet Responsorii, aut saltem Lectionis tertiæ, si designati sint alii ad versiculos præcedentes cantandos; Clerus interea sedet capite tectô, nec caput aperit, nisi ad *Gloria Patri* tertij cùjusq; Responsorii; ad quem versum inclinant se omnes more solito. Cumque celebrans secundam & tertiam dat benedictionem, omnes qui in choro sunt capita quidem detegunt, sed è Sedibus non surgunt, quamquam erectus sit in pedes tunc temporis Celebrans [c] speciale quippe est Episcopo Privilegium, ut sedendo benedictiones impertiatur omnes; exceptis primis cujuslibet Nocturni pro quibus surgit cum omni Clero [d].

X. Adverte quod Cæremoniæ quæ ad primum Nocturnum

(b) Cærem. Episc. *supr.* & *cap.* 6. Castald. *supr.* Bauldr. *supr.* (c) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 6. Bauldr. *supr.* Braulion. *part.* 4. *append.* 3. *cap.* 3. *num.* 10.
(d) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 5.

Nocturnum observantur, eædem ad secundum & tertium observari debent, [e] exceptîs sequentibûs speciatim observandis tempore lectionum tertii Nocturni 1*mo* A principio septimæ Lectionis stat erectus in pedes Clerus, donec finiantur verba Evangelii usque ad *& reliqua*: neque tunc Celebrans, sicut nec in aliis lectionibus, ullum signum efformat super librum & super semetipsum (f) 2*do*. In iis Ecclesiis ubi non est consvetudo ut adhibeatur Pluviale à Celebrante ad Matutinum, tempore octavæ lectionis curat Cæremoniarius, ut afferrantur Pluvialia tria, atque sub finem Responsorii tradit illa Celebrãti & Cappariis ambobus. [g] 3*tio*. Tempore ejusdem Responsorii, vel citiùs si opus fuerit, eunt ambo Acolythi, cereos in utroque angulo Altaris positos accensuri, servantque Cæremonias annotatas ubi de Vesperis ante Capitulum Art. 1*mo*. n. 10*mo*. & acceptîs Candelabrîs, conferunt se ad Celebrantem, [h] nituntur que ad illum pervenire tum, cùm perveniunt & Capparii paulò ante ultimæ lectionis initum. 4*to*. Completô Octavo Responsorio erigunt se omnes, stantque facie ad se invicem versâ, per tempus nonæ lectionis; ob reverentiam Celebranti debitam. Lectionem canit Celebrans intra sedem suam, quam idcirco non deserit, sed prius benedictionem petitâ dignissimo inter illos qui Choro intersunt: (i) ad solum quippe Erpiscopum pertinet hoc in casu verba suâ imme-

(e) Cærem. Episc. *supr*, (f) Cærem. Episc. *supr.* Braulion. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 2. num. 3. (g) Cærem Episc. *libr* 2. *cap.* 6. (h) Cærem. Episc. *supr.* (i) Gavant. *sect.* 10. *cap.* 3. *de* Cærem. *ad* Canon. *adhiberi* Braulion. *supr.* *num.* 2.

mediatè ad Deum dirigere dicendo: *Iube Domine benedicere* cui respondet Chorus tantummodo *Amen*[k] Quando profert celebrans *Tù autem Domine* inclinat se profundè Altari absque genuflexione [l]

XI. Postquam â Choro responsum est *Deogratias*. præintonat primus Capparius Celebranti Hymnum *Te Deum laudamus*, quibûs verbîs á Celebrante repetitîs Capparij & Acolothi cum Ceremoniario salutant illum, & ad loca sua se recipiunt sicut ad Hymnum Vesperarum. Dum canitur versus *Te ergo quæsumus* omnes, etiam Celebrans ipse, flexîs sunt genibûs versùs Altare, [m] postea surgentes vertunt se facie ad faciem ut ante

XII. Si Matutinum à laudibus disjungendum sit, ut in Festo Nativitatis Christi Domini, à Celebrante post Hymnum, dicitur Oratio cum *Dominus vobiscum* ante & post, deinde intonant cappârii *Benedicamus Domino* & Celebrans non addito *Fidelium animæ* ad Sacrum properat. At si Clerus post Matutinum egressurus sit è choro, addit Celebrans *Fidelium animæ*, *Pater noster* & reliqua solita secundum consvetudinem Ecclesiarum.

XIII. Pro Laudibus eædem sunt Cæremoniæ & idem Officialium numerus ac pro Vesperis, [n] ac proinde omnia respectivè servantur circa intonationem Antyphonarum, Psalmorum, Hymni, Cantici *Benedictus*, eorumque decantationem, thurificationem & alia hujusmodi, sicut ad Vesperas. [o]

XIV.

(k) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 5. (l) Bauldr. *supr.* Castald. *supr.* (m) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 6. (n) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 6. (o) Cærem. Episc. *supr. cap.* 7. Bauldr. *supr. num.* 21.

XIV. Si Prima statim á Laudibus dicenda sit, Celebrans dictô *Fidelium animæ* recedit cum Officialibus suis eôdem modô quô post Vesperas; quando subjungitur Completorium. Alius è choro indutus superpelliceo tantum & in loco suo consveto celebrat Officium Primæ. Quodsi prima non exciperet immediatè Laudes, diceret Celebrans ante suum egressum Antyphonam de Beata Virgine, ut fit in Vesperis quando eas non immediatè sequitur Completorium.

XV. Adverte, quando Matutinum, Laudes & Horæ Minores celebrantur coram Sanctissimo Sacramento, aut Episcopo Diœcesano, nihil esse specialiter observandum, præter ea quæ superius Art. 4to. & 5to. de Vesperis recensentur. Unde inferri facilè potest, quid in his casibus agendum sit, nec opus est, ut hic super istis ulterius immoremur.

ARTICULUS VII.

De Officio pro Defunctis generatim.

I. OFFicium pro Defunctis maximam affinitatem habet, cum Officio trium posteriorum dierum Hebdomadæ Sanctæ, & præsertim in modo inchoandi & finiendi, in prætermissione versiculorum *Gloria Patri*, Capitulorum, Hymnorum, Thurificationis ad *Magnificat & Benedictus* & aliorum quæ omittuntur pro majori significatione luctûs, huic Officio competentis: quare etiam Clerus in choro juxta usum magis receptum, neque ab intrantibus, neque ab exeuntibus salutatur; Celebrans & Cantores sedent in scamnis nudis absque tapetibus; ac demum cantores nemini præintonant

nant Antyphonas, ſed eas ipſimet intonant ante pulpitum [p] non ſecus ac Pſalmos & verſiculos.

II. Nulla lex eſt univerſaliter obligans ad recitationem Officii pro Defunctis, niſi die commemorationis omnium Defunctorum. [q] obligatio illud recitandi extra tempus Paſchale prima die cujuslibet Menſis non impedita Officiô novem lectionum, & ſingulis feriis ſecundis tantum Adventûs & Quadrageſimæ, exceptâ majorî hebdomadâ, ſpeciatim ſpectat ad Eccleſias Cathedrales & collegiatas; nec ad alias Eccleſias, nec ad eos qui extra chorum recitant, extenditur. Poſſunt nihilominus quidam aliunde ad illud obligari; ratione videlicet privatarum fundationum, quibus ut ſatisfiat, licitum eſt iis diebus illud recitare, quibus juxta Miſſalis Rubricas celebrari poteſt Miſſa de *Requiem*: quin & ut ſentiunt graves Authores, poſſet in choro recitari aliis diebus, quibus non liceret Miſſam celebrare de *Requiem*; niſi obſtaret loci conſvetudo. At verò excipienda ſunt ſaltem Feſta primæ & ſecundæ claſſis, cum tribus ultimis diebus Hebdomadæ Sanctæ; [r] tunc autem dici debet Officium iſtud, ſeparatim ab Officio diei, juxta Decretum. S. C. Rituum 12. Julij 1628. Quod attinet ad diem depoſitionis Defuncti, ſemper haberi poteſt Officium pro Defunctis, exceptâ Feriâ ſextâ in Paraſceve & die Paſchatis; [s] his ſiquidem diebus differri debet, (: ſi fieri poteſt:) ſepultura in craſtinum. In aliis autem principalibus Anni Feſtis, ſi ad diem ſequentem commodè nequeat, ſepultura differri, fieri debet ſub Veſpere cum prædicto

(p) Bauldr. *part. 1. cap. 6. art. 2.* num. 18. Braulion. *part. 3. cap. 21.* num. 3. & 6. (q) Gavant. *ſect. 9. cap. 2.* (r) Gavant. & Merat. *ſupr.* (s) Gavant. & Merat. *ſupr.*

prædicto Officio, poſtquam Officium diei omnino completum eſt.

III. Caret iſtud Officium ſecundis Veſperis, Completorio & Horis minoribus: atque in choris ubi recitari debet diebus per Rubricam præſcriptis, dicuntur Veſperæ pro Defunctis poſt Veſperas Officii cadentis, licèt duplicis, dummodo dies ſequens per Rubricam deſignata non impediatur Officio novem Lectionum: imò ex Decreto S. C. Rituum. 20. Maji 1603. ſi prima dies Menſis non ſit impedita, habendæ ſunt Veſperæ Defunctorum poſt Veſperas diei præcedentis, etiamſi eô diê occurrerit Feſtum de præcepto: [t] idem ſervatur ad Matutinum & Laudes quæ dicendæ ſunt poſt Laudes diei. Jam vero Officium Defunctorum quod extraordinariè dicitur, adjungi ſimiliter poteſt Officio diei, quando illud immediatè ſequitur; præterquam in caſu ſupra excepto; cum autem ſejunctim dicitur ſivè in choro, ſivè privatim, nulla eſt obligatio dicendi *Pater*, ſivè ante, ſivè poſt, quandoquidem nihil de hoc habet Rituale Romanum. (u) Quodſi Matutinū à Laudibus dividatur in fine preces abſque Pſalmo recitandæ ſunt cum Oratione vel Orationibus, ut ritè concludatur hæc pars Officii. [x]

IV. Si ante Sacrum, cantetur præſente corpore Matutinum, non ſunt præmittendæ Veſperæ, quia Matutinum tempus non eſt conveniens pro Veſperis; [y] & quando canitur à meridie Matutinum trium lectionum, accipitur nocturnum diei ſequentis,

(t) Merat. in Indic. Decret. (u) Gavant. *ſupr.* (x) Bauldr. *part. 3. cap. 15.* num. 20. Gavant. *ſupr.* (y) Gavant. *ſupr.*

sequentis, cui propriè competit istud Officium; nisi dicatur in Exequiis alicujus Defuncti, tunc enim semper accipitur primum Nocturnum si unicum dicendum sit. [z]

V. Officium Defunctorum fit ritu duplici in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. 2da, Novembris; & in die obitus vel depositionis Defuncti juxta Rubricam Breviarii. 1. de Officio duplici. n. 1. quibus superaddit Rituale Romanum tertium, septimum & trigesimum diem post obitum, cum anniversario; atque insuper ex usu vulgari & Auctorum sententia, quotiescunque tria Nocturna cum Solemnitate dicuntur. Quod si in die depositionis vel in aliquo alio solemni Officio unum duntaxat dicatur Nocturnum, debent nihilominùs juxta eosdem Auctores duplicari Antyphonæ, quod ex Rituali Romano colligere est.

VI. Quando Officium est Duplex, ex illis octo Orationibus quæ ad calcem Vesperarum pro Defunctis insertæ sunt, una tantum dicitur, puta *Fidelium* in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum: & reliquæ prout fert unius cujusque titulus, & istis in hoc casu integra subjungenda est conclusiô. Ast in Officio communi dici solito prima die Mensis, Feriîsque secundis Adventûs ac Quadragesimæ, tres dicuntur Orationes sub una eaque brevi conclusione. Idem numerus Orationum, idemque eas concludendi modus, observatur in omni alio Officio non Selemni; collocatis primo & secundo loco Orationibus particularibus quæ dicendæ sunt, & ultimo loco Oratione *Fidelium.* Nomina propria Defunctorum in iis Orationibus proferuntur, in quibus notata repe-ritur litera N. in aliis vero omittuntur.

(z) Ritual. Roman. *de* Exequiis.

VII. Nunquam prætermitti debent preces præscriptæ post Vesperas & Laudes Defunctorum; quando autem fit Officium pro uno duntaxat Defuncto, dicuntur in numero singulari Versiculi, & Responsoria præfatarum præcum, sicut & sequens Oratio; si pro fæmina, observatur genus fæmininum; sed nulla alia mutatio fit in toto Officio, nequidem ad versiculos *Requièm æternam*, & *Requiescant in pace.* qui post Orationem efferuntur semper in numero plurali. Psalmi vero *Lauda*, & *Deprofundis* inter easdem preces annumerati, prætermittuntur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitûs seù depositionis defuncti tantum; cæterîs autem diebûs semper dicuntur, quemadmodum disponit Rubrica Breviarii: & decrevit S. Rituum Congregatio, die 23. Junij. 1736. & 3. Augusti 1737. ac 8. Martii 1738. (a)

VIII. Præparantur in Sacristia candelabra duo nigra, cereis flavis instructa pro Acolythis, absque thuribulo, Trabea seù Cappa, vel in ejus defectu stola una nigri pariter coloris pro Celebrante, quâ utitur solum ad Vesperas & Laudes, non verò ad Matutinum; nisi eam prius induere debuerit, uti contingit in Exequiis Defunctorum, quô in casu potest illam retinere per Matutinum quod tunc cantaretur: Cantoribus non dantur trabeæ, nisi alia sit, locorum consvetudo.

IX. Si Vesperæ vel Matutinum Defunctorum immediatè sequantur Vesperas vel Laudes diei, satagit Sacristianus, ut statim atque cecinerunt Cap-parii

(a) Rubric. Breviar: Roman. in Vesp. Defun. & Merat. *vide* Indic. Decret.

Benedicamus Domino ornamenta Altaris, & Officialium chori commutentur, [b) adjuvantibus quibusdam Clericis, & ut ad Sacristiam referantur Trabeæ Celebrantis & aliorum; quod ita diligenter præstare debet, ut quam primum inchoari possit prima, vel Vesperarum vel Matutini Antyphona: Celebrans in hoc casu versiculum *Fidelium animæ* semper omittit.

X. Matutinum Officii Defunctorum tribus Nocturnis constat, & novem lectionibus: sed in Officio consveto per annum unum duntaxat cum tribus lectionibus dicitur Nocturnum; quod variatur juxta ordinem dierum, in eodem Officio annotatorum. Rubrica tria nocturna præscribit pro die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & die depositionis tantum; (c] & in hoc ultimo casu Rituale Romanum concedit ut justâ de causa unum tantum dicatur Nocturnum: (d] hoc à fortiori locum habere debet, in tertio, septimo & trigesimo die, & in Anniversario; nisi Benefactores aut Fundatores terna nocturna expresse postulaverint. Dicitur secundum eandem Rubricam invitatorium, in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitûs vel depositionis, tametsi unicum dicatur Nocturnum, prout habetur in Rituali. (e) Atque juxta morem & sententiam meliorum Auctorum dicitur quotiescunque Officium est Solemne; & regulariter quando tria Nocturna dicuntur. (f) Responsorium verò *Libera me Domine de morte* dicitur solummodo in die

(b) Cærem. Episc. *libr.* 2. cap. 10. Braulion. part. 3. cap. 21, num. 1. (c) Rituale Romanum de Exequiis (d) Rubr. Breviar. de Matut. Defunct. (e) Ritual. Roman. de Exequiis. (f) Rubr. Breviar. 2. de Invitat.

die commemorationis omnium Defunctorum, & quoties tria dicta sunt Nocturna. [g)

ARTICULUS VIII.

De Vesperis Solemnibus pro Defunctis.

I. SI Vesperæ Defunctorum non immediatè post Vesperas diei, sed aliquo alio tempore celebrentur, postquam venit hora accendunt Acolythi cereos Altaris, & candelabrorum suorum; Clero intra chorum jam congregato more ordinario; advenit Celebrans indutus Cappâ vel saltem stolâ nigrâ, [h) præcedentibus ambobus Acolythis & Cæremoniario si ea sit consvetudo; [i] fusâque ad Deum brevi præcatiuncula flexîs genibûs supra infimum Altaris gradum, eodem ordine locum suum petit insalutato choro; quo statim atque pervenit, intonant ambo Cantores Antyphonam *Placebo*, quæ sicut aliæ nonnisi diebus supradictis duplicantur.

II. Post Antyphonam intonant Cantores primū Psalmi versum (uti dictum est in Vesperis Solemnibus Art. 1. n. 7.) totusque Clerus sedet & tegit se ad mediationem ejusdem versus: manet ita usque ad uersiculum *Audivi vocem*; [k] nec aperit caput ad versiculum *Requiem æternam*, qui subjungitur cuilibet Psalmo semper in plurali, in duasque partes dividitur veluti *Gloria Patri*. [l] sedet etiam

(g) Ritual. Roman. *supr.* (h) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 10. (i) Bauldr. *part.* 1. *cap.* 13. Art. 2. *num.* 16 (k) Castald. *libr.* 2. *sect.* 4. cap. 7. num. 4. (l) Braulion. *part.* 3. cap. 21. num. 3.

am uterque Cantor ante pulpitum in scamno nudo post intonatum Psalmum, sed erigunt se ambo in fine cujuslibet Psalmi ad repetendam Antyphonam & canendam sequentem cum primo Psalmi versiculo.

III. Finitis omnibus Psalmis Antyphonâque repetita, ambo Cantores stantes in eodem loco versiculum canunt, eô qui huic Officio proprius est tonô, respondet Clerus stans detecto capite. Cantores inchoant Antyphonam ad *Magnificat*, quam chorus si duplicanda sit sedendo prosequitur. postea inchoatur ab ambobus Cantoribus *Magnificat* cujus tempore stant omnes de more; sed Celebrans Altare non incensat. (m)

IV. Sub finem cantici ambo Acolythi eunt insalutato choro Candelabrorum suorum cereos accensuri genuflectentes ante & post Altari, progrediuntur postea cum Candelabris suis ad Celebrantem, quem advenientes salutant, vertuntque se facie ad faciem, & stant ita usque ad finem Officii. (n] Repetitâ Antyphonâ flectunt omnes genua toto tempore sequentium precum, exceptis Acolythis ac Cæremoniario si protunc occupetur in libro sustentando. Inchoat Celebrans genibûs flexis (o) preces his duobus verbis *Pater noster* quæ elatâ você profert, sed cætera secreto prosequitur ad hæc usque *Et ne nos inducas:* quæ eodem tonô dicit ac prima, & quibus chorus totus respondet, *Sed libera nos.* Tunc recitatur ex utraque parte alternatim Psalmus *Lauda anima* si dicendus sit:

deinde

(m) Cærem. Episc. *libr.* 1. cap. 23. (n) Cærem. Episc. *libr.* 2. cap. 10. Bauldr. *part.* 1. cap. 13. art. 2. num 15. Castald. *libr.* 1. *sect.* 4. cap. 9. num. 15. (o) Rubr. Breviar. *supr.* Braulion. *supr.*

deinde sequentes versiculos recitat Celebrans, choro respondente usque ad finem; tum Orationem vel Orationes pro ratione Officii dicit stans [p] addendo in fine versiculum *Requiem æternam dona eis Domine*; & intonant Cantores *Requiescant in pace.* Postea Celebrans nihil addendo progreditur ad Sacristiam, antecedentibus Acolythis & Cæremoniario, uti venit; receditque Clerus more consueto.

ARTICULUS IX.

De Matutino Solemni pro Defunctis.

I. Quando Matutinum non dicitur immediatè post Laudes diei, Clerus congregat se ad chorum: quomodo dictum est Art. 6. n. 2. de Matutino ordinario; atque post factam flexis genibus precatiunculam, surgunt omnes; & ab ambobus cantoribus inchoatur è vestigio Invitatorium cum psalmo *Venite exultemus* si dicendus est; Clerus respondet stando facie ad Altare conversa.

II. Ambo Cantores Antyphonas Psalmos & in fine cujuslibet nocturni versiculos intonant ante pulpitum: (q] sedet Clerus & manet capite tectô à mediatione primi versus prioris Psalmi, usque ad versiculum ante Lectiones: tunc primum surgunt omnes, respondent ad versiculum; recitantque voce submissa *Pater noster* quæ verba Celebrans non intonat. Deinde Lector qui à Cæremoniario deductus est ad medium chori cum solilitis

(p) Braulion. *supr.* Bauldr. *part.* 2. cap. 2. num. 12.
(q) Bauldr. *part.* 1. cap. 6. art. 2. num. 18.

tis Altari reverentiis, cantat Lectionem sine absolutione, sine benedictione & absque titulo, eamque concludit vocis modulatione huic Officio propriâ, non addens *Tu autem Domine*. Totus Clerus sedet tempore Lectionum & dum canuntur Responsoria, quæ ambo cantores intonant, & Clerus prosequitur, velut in Matutino ordinario; nec dividitur versiculus *Requiem æternam*.

III. Quando tria dicuntur Nocturna, ea omnia in secundo & tertio observantur, quæ & in primo: priusquam Celebrans legat ultimam lectionem, induitur Cappâ, nisi eâ jam indutus sit, ut diximus Art. 7. num. 8. post ultimam Lectionem non dicitur Responsorium *Liberame Domine de viis inferni* quod immediatè sequitur, sed aliud quod inferius est *Libera me Domine de morte æterna*. (r)

IV. Si Cælebrandæ sint continuo Laudes, cantores intonant Antyphonam *Exultabunt Domino* & illam prosequitur cum choro si Duplex sit Officium, in reliquo eæ observantur Cæremoniæ quæ & in Vesperis relatæ sunt Articulo superiori.

V. In Exequiis Defuncti præsente corpore post repetitionem Antyphonæ ad *Benedictus* non dicit Celebrans Psalmum *Deprofundis* sed solum versiculos & Orationem *Absolve* prout notatur in Rituali post Responsorium *Subvenite Sancti*. quod cantatur ad ingressum Ecclesiæ; nihil addendo post istam Orationem. (s)

MANUALE

(r) Ritual. Roman. *de* Exequiis Rubr. Breviar: *de* Offic. Defunct. (s) Ritual. Roman. *de* Exequiis.

MANUALE
CÆREMONIARUM ROMANARUM
PARS QUARTA
DE VARIIS CÆREMONIIS PARTICULARIBUS
ARTICULUS I.

Annotationes aliquot de ingressu Cleri ad Chorum, tam in Missa, quàm in Vesperis Solemnibus.

I. Duplici modô Clerus in chorum ire potest: 1. conjunctim cum omnibus Officialibus ornatis, qui Clerū subsequuntur. 2do. sejunctim ab iisdem Officialibus; qui è Sacristia non prius discedunt, quàm Clerus in choro jam congregatus sit. Prior modus utpote solemnior præcipuis anni Festis magis congruit, ex Cærem. Episc. (t) & ex Decretò S. C. R. 12. Junii 1628. Juxta istum procedendi modum expedit, ut ingressus in chorum fiat per majorem portam, quæ esse solet in inferiori parte Presbyterii, ac plerumque è regione majoris Altaris, atque sit oportet Clerus omnis in eadem Sacristia cum Officialibus congregatus, ut omnes eodem tempore proficiscantur: si tamen illis

(t) Cærem. Episc. *libr*. 1. *cap*. 15. Merat. *in* Indic. Decret.

lis diebus cantarentur aliquot horæ canonicales immediatè ante Missam, aut Vesperas; Officiales in eo casu ad chorum venirent separatim à Clero, eisque tantummodo præirent aliquot Clerici (si ferat istorum numerus) qui bini & bini post Acolythos & Cæremoniarium incederent. (u) Alter modus usitatus est præsertim in Festis minoris Solemnitatis, servari quoque debet, qoando Clerus & Officiales non sunt in una & eadem Sacristia collecti, vel etiam quando intratur in chorum per aliquam ex portis collateralibus choro aut Altari, propter incommoda nonnulla quæ inde sequerentur si secus fieret, maximè in choris ab Altari distantibus.

II. Situm duplicem solent habere chori, alii sunt separati, & distant ab Altari, in iisque digniores è Clero occupare solent loca ab Altari distantiora: alii vero sunt in utraque collaterali & anteriori parte Altaris, absque separatione; atque in istis digniores è choro proximiores sunt Altari. Jam verò cum in *2da* & *3tia* Parte hujusce operis ad initium Missæ & Vesperarum Solemnium, jam egerimus de duplici hoc modo intrandi in chorum juxta situm vulgarem in choris ab Altari separatis ac distantibus, superest tantum hic addere monita quædam de eodem situ chori, & alias aliquod annotationes choris ab Altari non distantibus proprias.

III. Quando chorus multum distat ab Altari, quamvis ei è regione opponatur, non tenentur Officiales Altaris Clerum salutare, nisi transeant intra chorum, aut ad illum propius accedant; atque talis est multarum Ecclesiarum praxis. Quod ad Cap-

(u) Cærem. Episc. libr. 2. cap. 3.

Capparios attinet, sufficit in hoc casu ut surgat Clerus, illosque tùm salutet, cùm in chorum absolutâ prius coram Altari præcatiunculâ ingrediuntur.

IV. Quamquam digniores è Clero juxta Cærem: L. 1. C. 15. quando nõ itur processionaliter ad chorum debeant alios procedere: attamen quia usus contrarius ubique fermè receptus est; proposuimus locis supra citatis, ut minus digni semper antecedant in quovis modo procedendi ad chorum & pro quolibet Officio sivè Solemni, sivè non solemni; causa vitandæ in hoc casu nimiæ singularitatis.

V. Si angustior sit Altaris aditus, collocant se Acolythi & Cæremoniarius advenientes ante angulos Altaris, Capparii verò qui sequuntur immediate si plures sunt, ordinant se penes illos, relicto inter se & ultimum gradũ, spatio necessario ut cæteri Officiales libere transire possint; postea promovent se ad utrumque Altaris latus si locus sit capax, ut omnes in recta linea debitam Altari Salutationem exhibeant: vel si opus est, eam exhibebunt minores Officiales retro post alios; cæteri ex Clero si transeundum sit per aliquam angustam portam, transeunt singulatim alius post alium minus dignus ante digniorem.

VI. In choris non distantibus ab Altari & in quibus digniores occupant loca Altari proximiora ut fert usus multarum Ecclesiarum. *imo* Officiales prius Altare quam chorum salutant, (x) quia prius occurrunt Altari quam dignioribus è Clero à

(x) Cærem. Episc. libr. 2. cap. 17. & 30.

ro à quibus ſemper incipienda eſt chori ſalutatio. 2*do* Chorū ſalutare incipiunt à parte Evangelii quæ in eo ſitu nobilior eſt, (niſi quando reperitur Celebrans in alia parte) & ſemper à dignioribus. 3*tio*. Quotiescunque Miniſtri altaris inter Miſſarum Solemnia tranſeunt per medium chorū ſalutant Clerū utrinque; ſed quando propè unam tantum partem tranſeunt illam duntaxat ſalutant. 4. Quoniam in choris tali modo diſpoſitis non alia ſolet eſſe porta, quam illa quæ eſt ex oppoſito Altaris; accedentes ad Miſſam Capparii Miniſtros Sacros immediatè præcedunt. 5. In Veſperis Celebrans & Capparii bireta deponunt ſtatim atque in chorum ingrediuntur, & illo inſalutatô, pergunt rectà ad Altare, ubi exhibitâ cum inferioribus Miniſtris ſalutatione debitâ, flectunt genua ſupra infimum gradum, ut orent aliquamdiu; interim Acolythi facta genuflexione Altari tum, cùm à Celebrante atque Capparijs advenientibus inclinatio vel genuflexio facta eſt, ſalutant in eodem loco chorum ex utraque parte, incipientes à parte Evangelii, caventesque ne tergum vertant ad Altare; tum ferunt candelabra ſua & eorum cereos extingvunt in utroque Altaris angulo ſupra infimum gradum, (y) recipiuntque ſeſe in loca ſua. 6*to*. Celebrans & Capparii finitâ precatiunculâ ſuâ, erigunt ſe ad ſignum Cæremoniarii; atque denuo inclinant ſe vel genuflectunt ut ante, poſtea non vertentes ad altare terga ſalutant utrinque chorum (z) ſtat autem tunc Clerus aperto capite; poſtea Capparii celebrantem deducunt ad ſedem ibi deſtinatam, quo ſalutatô eunt juxta locorum conſvetudi-

(y) Cærem. Epiſc. *libr*. 2. cap. 3. (z) Cærem. Epiſc. *ſupr*.

ſvetudinem magis receptam, ad ſedes ſuas in medio chori præparatas, ubi antequam ſedeant, debitam exhibent Altari reverentiam: aut ſtant ante celebrantis Cathedram (tametſi ſederint alii omnes:) & loca ſua petunt poſt quam â digniore Cappario prima Veſperarum Antyphona celebranti præintonata eſt. (a)

ARTICULUS II.

De Cæremoniis Chori in genere inter Officia Divina.

I. POſt interiorem devotionem quam unusquisque in templo aplicatione ſua ad Deum præſentem debet pro viribus fovere; nihil eſt quod ad chori perfectionem magis conducat, quam uniformitas in Cæremoniis: quapropter omnes oportet accuratiſſimos eſſe in faciendis eodem modo & tempore actionibus toti choro communibus; ut ſunt caput tegere, detegere, ſedere, ſurgere, inclinare ſe. &c. (b)

II. Unusquisque ſibi tantum invigilet, ne ſe ingerat alios, qui in Cæremoniis vel cantu delinquunt corrigere, hoc enim ſpectat tantummodo Præfectum chori, Cæremoniarium, aut eum qui in hunc finem deſtinatus eſt; ſi quis tamen in vicino ſuo parvum aliquem animadverteret defectum, quem valeret inperceptô modô emendare, id præſtare poſſet nutû, vel aliquô levî tactû.

III.

(a) Cærem. Epiſc. *ſupr*. (b) Bauldr. *part*. 2. cap. 2. num. 8. Caſtald. *libr*. 2. *ſect*. 1. cap. 2. num. 2.

III. Oportet ſemper prius ſedere, quam caput tegere; & è contra, prius caput detegere, quam ſurgere, adhibitâ ad hunc effectum manu dextrâ Quocirca notantum venit, quod tamdiu Clerus debeat eſſe apertô capitê, quamdiu eſt vel in pedes erectus, vel in genua provolutus; tecto vero capite quando ſedet: niſi quô tempore Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum; vel quando exhibenda eſt inclinatio ad aliqua verba, vel verſiculos, tunc enim ſinguli caput aperiunt inſimul, (c) admovendo biretum quidem ad genu dextrum, manum verò ſiniſtram ad lævum; niſi neceſſe fuerit manum iſtam altius tenere ad legendum in Breviario.

IV. Quando eſt caput detectum, præmanibus habeatur biretum, & non imponatur ſcamno; ſi verò Pſalmi tunc recitentur, bireto fulciatur Breviarium, vel Diurnale; in quo ſi fieri poteſt continuo legendum, non enim oportet propriæ memoriæ fidere.

V. Caveat unusquisque dum ſtat, vel genuflectit, ne fulciat ſe ſupra ſedem ſuam: & quando ſedet ut pedes in terra teneat ex æquo poſitos, non decuſſatos, nec nimium ab invicem ſemotos. (d) Manus verò ſi non occupantur in ſuſtentando Breviario vel Diurnali, modeſtè ſupra pectus decuſſantur, dextra ſiniſtræ ſuperpoſita; nec unquam in choro chirotecis utendum.

VI. Ubi primum Clerus omnis congregatus eſt in choro ad aliquod Officium, orant omnes brevi tempore flexis genibûs; [e] tum datô ſignô per eum

(c) Bauldr. *part.* 2. cap. 5. num. 1. & 8. (d) Bauldr. *ſupr. cap.* 1. num. 6. (e) Cærem. Epiſc. *libr.* 1. cap. 18. & *libr.* 2. cap. 6. Bauldr. *part.* 2. cap. 1. n. 4.

eum qui præeſt, erigunt ſe; atque ſi ſolemne ſit Officium ut ſunt Miſſæ & Veſperæ, ſedent ad adventum uſque Officialium, (quando inſimul non veniunt;) (f) tumquè primum ſurgit Clerus, & illos reſalutat convenienti inclinationê; Clerici minores inclinant ſe profundius, quàm Sacerdotes & digniores è Clero; quibus ſatis eſt, ſi inclinationê ſolum mediocrî inclinent ſe ſacris Officialibus. Ad Officium minus ſolemne ut ad Matutinum, Horas minores & Completorium (ſi dicatur ſejunctim à Veſperis:) chorus non ſedet poſt præcatiunculam initialem, ſed inchoat extemplo faciê ad Altare converſa.

VII. Si quis in chorum ingrediatur Clero jam ibi congregato, genua flectit ante Altare in loco deſignato, ubi præcatiunculâ abſolvit, poſtea erigens ſe, Altare ſalutat & Celebrantem, ſi tunc habeatur Sacrum, & ab illo facilè percipi poſſit, uti contingere ſolet, quando Celebrans ſedet; deinde ſalutat inclinatione convenienti chorum [g utrinque, incipiendo ab ea parte in qua reperitur Celebrans ſi choro interſit; quando verò hic abeſt, incipit ille à parte Epiſtolæ, juxta ſitum quem obtinent chori ab Altari diſtantes, & è contra à parte Evangelii; juxta ſitum quem habere ſolent chori ab Altari non diſtantes; prout Articulo ſuperiori dictum eſt: poſt iſtam ſalutationem ille qui advenit; reſalutatur ſimiliter ab omnibus, præterquam ab iis, qui Ordinis ſunt ſuperioris; [h) it poſtea locum occupaturus, juxta ordinem ſuum.

(f) Braulion. *part.* 1. *ſect.* 2. cap. 1. (g) Cærem: Epiſc. *libr.* 1. cap. 18. Bauldr. *ſupr.* num. 11. Braulion. *part.* 4. append. 3. cap. 3. num. 8. (h) Cærem. Epiſc. *ſupr.* Braulion. *ſupr.*

VIII. Si quis Episcopus aut Princeps magnus, interessent choro, soli ante omnes salutarentur, sivè ab intrantibus, sivè ab exeuntibus atque post ipsos chorus hinc & inde, Ordinê mox relatô: at vero si advenirent ipsi in chorum, Clero jam congregato, erigerent se omnes, & eos debitâ salutatione venerarentur; quod similiter servat, quicunque coram illis quam diu choro adsunt pertransit, sed cum isto discrimine; nempè quod Canonici Sacerdotes, nec non si qui trabeis induuntur, Episcopum Diœcesanum sicut etiam Archi-Episcopum in sua Provincia, & S. R. E. Cardinalem in omni loco, salutent profundâ tantum inclinationê, cæteri verô inferiores, genuflexionê quidem, juxta locorum consvetudinem, quando Prælati illi Rochetto induti sunt & Mozetta, profunda vero inclinationê duntaxat si ornamentis istis carerent, sicut & alios Episcopos, tam etsi Rochetto & Mozetta ornatos; Principes quoque aut Principissas juxta ea quæ dicta sunt. Part. 2. Art. 13. n. 25.

IX. Si quis ex Clero intret in chorum tempore Officii dū dicitur *Deus in Adjutorium* vel *Gloria Patri* aut Oratio; item tempore Missæ, dum fit Confessio vel dicitur Oratio aut Evangelium vel denique quando aliquid dicitur ad quod Clerus inclinat se, vel genua flectit modico tempore, sivè in Officio sivè in Missa, expectat in ingressu, continens se in eo situ, quem habet Clerus donec ea finiantur; tum orat aliquantô tempore flexîs genibûs & salutationes exhibet supra recensitas

censitas. [i] Si tamen expectasset aliquamdiu flexis genibûs, non opus foret ut aliam precatiunculam absolveret in medio chori, sed ut convenientes reverentias & Altari & choro exhiberet.

X. Ad Missam & Officium pro Defunctis sicut & ad Matutinum Tenebrarum & per totum Officium Feriæ sextæ Majoris in Parascevè neque intrando neque exeundo salutant chorum; ea solùm præstant quæ supra notantur: ast quando expositum est *SS.* Sacramentum chorus de more salutatur.

XI. Quando quis ex choro egredi tenetur ante finem Officii aut Missæ, salutat imprimis utrumque suum vicinum, deinde descendit ex loco suo si est in superioribus scamnis, vel si est in inferioribus, removet se aliquantulum è suo, ita ut conspectui Cleri sufficienter exponatur, ibique salutat primùm partem chori nobiliorem, deinde alteram ut habetur supra n. 7. incipiendo semper à dignioribus; facit postea reverentiam convenientem Altari, quando ad illud propiùs accedit, si penes illud transire debeat; [k] uti ordinariè contingit in choris distantibus ab Altari, de quibus hic agimus. Verum in choris ab Altari non distantibus, fit primùm Altari salutatio in medio chori, è regione loci qui deseritur, tum Clerus hinc & inde salutatur, [l] incipiendo à parte in qua est Celebrans si adsit in choro, aut si abiit à parte Evangelii;

(i) Cærem. Episc. *libr.* 1. cap. 18. Bauld. *supr.* Braulion. *supr.* Castald. *libr.* 2. *sect.* 1. cap. 2. num. 3. (k) Cærem. Episc. *supr.* (l) Cærem. Episc. *lib.* 2. cap. 3.

vangelii. Oportet ob eandem rationem priùs ſalutare Altare quam Clerum, etiam in choris ab Altaribus diſtantibus quando nimirum fieri debet egreſſus per inferiorem januam, quæ eſt ex oppoſito Altaris; [m] pars tamen Epiſtolæ ſemper ſalutanda eſt ante partem Evangelii, quando in hac non reperitur Celebrans.

ARTICULUS III.
De Cæremoniis ad Chorum pertinentibus tempore Miſſæ Solemnis.

I. AB initio Miſſæ ad illud uſque tempus quô Celebrans ad altare conſcendit, genua flectunt omnes, quisque prope ſuum ſcamnum; iis exceptis qui tunc cantant ad pulpitum, vel qui Cappîs induuntur, aut qui Privilegiati ſunt ratione ſuæ dignitatis, ut Epiſcopi, Abbates & Prælati alii, quibus jus competit utendi Rochetto; [n] attamen in Mîſſis de *Requiem* & de feria privilegiata quorum mentionem fecimus Art. 4. n. 9. de Miſsa Solemni, iſti protunc genua flectunt, ſicut & illi, ſolis exceptîs Cantoribus; [o] quin & Cantores cum toto Clero genua flectunt in præfatis Miſſis, à *Sanctus* incluſivè uſque ad *Pax Domini* excluſivè; item quo tempore cantat Celebrans Orationes ante Epiſtolam; & poſt Communionem uſque

(m) Cærem. Epiſc. *lib.* 1. cap. 18. (n) Rubr. Miſs. 5. de Ordin. genuflect. *&c.* Cærem. Epiſc. *lib.* 2. cap. 8. (o) Rubr. Miſs. *ſupr.* Braulion. *part.* 2. cap. 2. num. 12. Bauldr. *part.* 3. cap. 16. num. 5.

uſque ad ſecundum Evangelium excluſivè: [p] at vero ſtat Clerus tempore Orationum, quæ in quibusdam Feriîs dic ıtur ante Lectiones ſeù Prophetias.

II. Qui non cantant ad pulpitum, ſignum Crucis ſuper ſe producunt cum Celebrante ad initium Miſſæ, ad *Adjutorium noſtrum* & ad *Indulgentiam*, [q] inclinantes ſe mediocriter tempore *Confiteor*, percutientesque pectus ad *mea culpa*, ac denuò inclinant ſe ad verſiculos ſequentes ſicut Sacri Miniſtri.

III. Cum aſcendit Celebrans ad Altare ſurgunt qui flectebant, ſtantque deinceps apertô capite, ac ad chorum ſeù in faciem converſi, id eſt, qui ſunt ex una parte chori faciem convertunt ad illos qui ſunt ex altera & viciſſim: interea dum canitur Introitus, quin quoadusque Celebrans finierit *Kyrie* cum Sacris Miniſtris, vel donec ipſe ſederit, ſi ſedere debeat: [r] atque tunc cuncti qui ſunt in choro ſedent, & capita tegunt. [s] Quocirca notandum eſt, quod verba iſta Rubricæ Miſſalis *In Choro non ſedent, qui actu cantant.* de iis duntaxat intelligenda ſunt, qui intonant cantum alicujus partis Miſſæ; aut qui verſiculum canunt aliquem, bini & bini; [t] quare citra hos duos caſus, debent juxta peritiorum ſententiam, quando chorus ſedet ſedere & Capparii.

IV.

(p) Rubr. Miſs. *ſupr.* Gavant. 1. Part. Tit XVII. de Ord. genuflect. Bauldr. *ſupr.* (q) Bauldr. *ſupr.* (r) Bauldr. *ſupr.* Gavant. *ſupr.* (s) Rubr. Miſs. *ſupr.* Braulion. *part.* 2. cap. 4. num. 15. Caſtald. *libr.* 2. ſect. 1. cap. 7. num. 5. (t) Braulion. *part.* 2. cap. 2. num. 17.

IV. Quando intonat Celebrans *Gloria in excelsis DEO* Clerus ſtat apertô capite, inclinatque caput ad hoc verbum *DEO*, [u] tum vertit ſe in faciem ſtando, donec Celebrans penitus abſolverit *Gloria* cum ſuis Miniſtris.

V. Poſt recitatum à Celebrante & Miniſtris ejus *Gloria in excelſis*, aut poſtquam illi deinceps ſederint, ſedet quoque Clerus capite tectô, [x] ſed caput aperiunt & inclinant ſe mediocriter, dum canuntur iſta *Adoramus Te: Gratias agimus Tibi: Jeſu Chriſte: ſuſcipe deprecationem noſtram: Jeſu Chriſte:* ſurgunt poſtea ſignumque Crucis efformant ſuper ſe quando cantatur *In Gloria Dei Patris* [y]

VI. Cum Celebrans, ſi ſedebat, ſurgit, ut ad Altare aſcendat; vel ſi non ſedebat, ex quo intonatur ultimus verſus Hymni *Gloria* erigit ſe Clerus detegens antea caput, juxta generalem regulam Articulo ſuperiori n. 3. relatam; manetque deinceps in faciem converſus, donec finiatur *Gloria*; quô Hymnô finitô vertit ſe ad Altare, & ita permanet ad finem uſque ultimæ Orationis; eas præſtando inclinationes quas & Celebrans.

VII. Cantante Diacono *flectamus genua* flectũt omnes utroque genu, & erigunt ſe, dum dicit Subdiaconus *Levate.* (z)

VIII. Ab initio Epiſtolæ ad Evangelium excluſivè, ſedent omnes capitê tectô; (a) exceptis Cappa-

(u) Bauldr. *ſupr.* Braulion. *ſupr.* (x) Caſtald. *ſupr.* (y) Bauldr. *part.* 3. cap. 11. art. 5. num. 5. & cap. 16. num. 23. (z) Bauldr. *ſupr.* Braulion. *ſupr.* (a) Bauldr. *ſupr.* Rubr. Miſs. 7. de Ord. genufl.

Cappariis in duplici caſu ſupra relato n. 3. & aliis ad pulpitum cantantibus, qui ſtant apertô capite; quando vero Subdiaconus cantat intra Epiſtolam iſta verba *Ut in Nomine JESU omne genu flectatur,* ſicut etiam quando canuntur in choro verſiculi, *Adjuva nos Deus; Veni Sancte Spiritus reple tuorum &c.* uſque ad finem, nituntur omnes ambobus genibus. (b)

IX. Dum canitur Evangelium ſtant cuncti capite detecto, & verſa facie ad Diaconum efformantes ſicut & ipſe pollice manus dextræ, ſignum Crucis in frõte, ore, & pectore, caputque inclinantes verſus Altare ad nomen *Jeſus* ſi proferatur; & verſus diaconum ad alia nomina, quæ capitis inclinationem poſtulant; ac denique flectentes unicum genu verſus Altare ad hæc verba. *Et Verbum Caro factum eſt. Et procidentes adoraverunt eum. Et procidens adoravit eum:* [c] ſed ad iſta ex Paſſione Chriſti Domini *Emiſit Spiritum* & ſimilia, flectunt omnes ambo genua, manentque mediocriter inclinati verſus Altare per intervallum unius *Pater* aut circiter, & erigunt ſe poſtea cum Diacono qui tunc Evangeliſtæ Officium obit. [d]

X. Finitô Evangeliô, ſtant ad Altare converſi ut ante, donec Celebrans intonaverit *Credo* ſi debeat dici; tum factâ capitis inclinationê ad *Deum*, vertunt ſe in faciem, inclinant ſe mediocriter ad *Jeſum Chriſtum*, ſtantque deinceps quoadusque

(b) Braulion. *ſupr.* Bauldr. *ſupr.* (c) Bauldr. *ſupr.* Merat. Part. II. Tit. VI. de Epiſt. *&c.* Braulion. *Part.* 2. cap. 5. num. 9. (d) Merat. Part. IV. Tit. VII. de Dom. Paſſi. Caſtald. *libr.* 3. *ſect.* 4. cap. 5. num. 8. & Braulion. *part.* 3. cap. 7. num. 11.

aduſque Celebrans cum Miniſtris ſuis complеverit *Credo*, aut ſederit illô completô, tum primùm omnes in choro ſedent, & capita tegunt; [e] ſed ad hæc verba *Et incarnatus eſt* detegunt capita & genua flectunt cum inclinatione mediocri; poſtea ſedent iterum ut ante: [f] ad *ſimul adoratur* detegunt caput, & ſe mediocriter inclinant; tandem ſurgunt & ſignum Crucis ſuper ſe producunt ad iſtum verſum *Et vitam venturi ſæculi.* [g]

XI. Sub finem Symboli, quando ſurgit Celebrans ut vertatur ad altare, ſurgunt etiam in choro, ſtantque omnes in faciem converſi; donec *Credo* omnino ſit decantatum; converſi poſtmodum ad altare reſpondent ad *Dominus vobiſcum* inclinantque caput ad *Oremus* ante Offertorium: ſedent deinceps tecto capite. [h]

XII. Adveniente Diacono ad chorum incenſandum, erigit ſe Clerus, illum reſalutat; ſtatque converſus in faciem toto thurificationis tempore, etiamſi Celebrans protunc Præfationem inchoaret. Finita thurificatione ſedent omnes ut ante, [i] niſi jam incœpta fuiſſet Præfatio, à cujus initio uſque Poſt Communionem non ſedent ampliùs.

XIII. Durantè Præfatione converſus eſt Clerus ad Altare, caput inclinat ad hæc verba *Deo noſtro* poſt *Gratias agamus*: [l] Præfationê finitâ

(e) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. cap. 8. Cærem. Epiſc. *ſupr.* (f) Bauldr. *ſupr.* (g) Rubr. Miſſ. 7. de Ord. genufl. ſedend. Bauldr. *ſupr.* (h) Rubr. Miſſ. *ſupr.* (i) Merat. Part. II. Tit. VII. de Offert. & aliis Bauldr. (k) *ſupr.* Cærem Epiſc. *lib.* 2. cap. 8.

tâ vertunt ſe in faciem & inclinantur mediocriter à *Sanctus* ad *Benedictus* excluſivè; quod *Benedictus* nonniſi poſt Calicis elevationem cantatur: (m) aſt ſtatim atque *Sanctus* omnino decantatum eſt, flectunt omnes genua verſùs Altare, & in ſilentio adorant SS. Sacramentum per utramque Elevationem: quamquam poſſint etiam hoc tempore organa pulſari tono gravi ac devoto. [n]

XIV. Poſtquam repoſitô calice ſupra Altare genuflexit Celebrans, erigunt ſe omnes eôdem tempore quô & ipſe, (o) manentque in faciem converſi interea dum canitur *Benedictus*; ad cujus initium, quiſque ſuper ſe ſignum Crucis efformat; (p) completô autem iſtô verſiculô vertunt ſe omnes ad Altare, uſque ad *Agnus Dei* excluſivè; ſtantes interim [ſecus in Miſſis ſupra ſpecificatis num. 1*mo.*] ſignumque Crucis producentes una cum Celebrante ad verba iſta *omni benedictione cæleſti*; deinde pectus percutientes ad *Nobis quoque peccatoribus*, ac demum inclinantes caput ad *Oremus* ante *Pater.* [q]

XV. Dum cantatur *Agnus Dei* Clerus eſt cõverſus in faciem & inclinatus mediocriter; atque ad iſta verba *Miſerere nobis* & *Dona nobis pacem* pectus unusquiſque percutit. [r] Interea Clerus pacem recipit modô infra expoſitô.

XVI. Stat Clerus verſâ faciê ad Altare à fine

(m) Cærem. Epiſc. *libr.* 2. cap. 8. (n) Cærem. Epiſc. *libr.* 2. cap. 8. & *libr.* 1. cap. 28. (o) Cærem. Epiſc. *libr.* 2. *ſupr.* Bauldr. *ſupr.* (p) Bauldr. *ſupr.* num. 23. (q) Bauldr. *ſupr.* (r) Bauldr. *ſupr.* Merat. Part. II. Tit. X. de Orat. Dom.

ne ultimi *Agnus Dei* usque post Communionem Sacerdotis. Inclinant se cuncti pectusque percutiunt ut Celebrans ad *Domine non sum digng* nisi decantaretur adhuc *Agnus Dei.* [s]

XVII. Post Celebrantis Communionem & non ante [juxta Cæremoniale recognitum ab Innocentio X. libr. 2. cap. 8.] cantatur Antyphona, quæ Communio dicitur, Clero interea sedentê opertô capitê, nisi tunc Clero vel populo distribueretur sacra Communio; in quo casu procedendum ut sequitur. Statim ac Diaconus inchoat *Confiteor* vel ex quo Celebrans flexit genua, sicut ea flectere debet, quando extrahitur Sacra Pixis è Tabernaculo, qui è Clero ad Sacram Communionem accessuri sunt, genua flectunt bini & bini in medio chori, alii vero qui non communicabunt, stant in locis suis versa facie ad Altare. (t) ast quando Celebrans vertit se ad populum cum Sanctissimo Sacramento dicens *Ecce Agnus Dei* totus chorus genuflectit (u) ut infertur ex eodem Cæremoniali cap. 30. & surgit solum circa finem duntaxat Communionis ad canendum Antyphonam Communio dictam, (x) ut fusius dicetur infrà Art. 8. de Cómunione Generali.

XVIII. Quando Celebrans dicturus est *Dominus vobiscum* erigit se Clerus si sedebat, vertitque faciem ad Altare, stans ita usque ad finem Missæ, exceptis casibus supra relatis n. 1mo in iis enim debent omnes genua flectere.

XIX.

(s) Bauldr. *supr.* (t) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 29. Bauldr. *part.* 3. *cap.* 8. *art.* 10. Merat. (u) *Part.* II. *supr.* Braulion *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. (u) Braulion *supr.* *num.* 10. (x) Bauldr. *part.* 3. *cap.* 16. *num.* 19. Rubr. Miss. 7. *supr.*

XIX. Ad benedictionem â Celebrante dandam inclinant se omnes mediocrî inclinationê ac supra se signũ Crucis efformant; (x) postea cum inchoatur ultimum Evangelium, eadem signa Crucis producunt, quæ ad primum; dumque profertur *Et Verbum Caro factum est:* genuflectunt unicô genû sicut & Celebrans.

XX. Post Missam si Clerus non abeat processionaliter cum Celebrante & ejus Ministris, resalutat illos statque versus Altare, donec ex choro egressi fuerint; postmodum si nullum tunc Officium canendum sit in choro, orant omnes aliquantulo tempore flexîs genibûs moxque datô signô per eum qui præest, cuncti surgunt, & quô ordine advenerunt eôdem revertuntur.

ARTICULUS IV.

De Cæremoniis Chori sub tempus Vesperarum, Matutini, Completorii. &c.

I. AD Vesperas statim atque congregati sunt omnes aliquantò temporis orant flexis genibus, postea sedent in locis suis, uti dictum est articulo superiori: (y) deinde dante Cæremoniario signum, surgunt & vertunt se ad Altare recitantque secreto *Pater* & *Ave*: muniunt se signô Crucis ad *Deus in adjutorium*, inclinant se profunde ad versiculum *Gloria Patri*, (z) usque ad *sicut erat* exclusivè, atque post *Alleluja* vel

Laus

(y) Bauldr. *supr.* *num.* 22. & 23. (z) Bauldr. *part* 2. *cap.* 11. *art.* 1. Braulion *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* *num.* 6

Laus tibi Domine vertunt se ad chorum in faciem.

II. Intonatô primô Psalmô usque ad meditationem primi versûs, sedent omnes, tegunt caput & manent ita per totum tempus Psalmorum, (z) aperientes caput tantummodo & inclinantes se profundè ad *Gloria Patri.*

III. Quando alicui ex choro præintonatur Antyphona, surgit ille, & inclinatione capitis ante & post resalutat præintonantem; atque tunc surgunt quoque omnes qui sunt in eadem parte chori, exceptô Celebrante, stantque donec intonaverit Antyphonam, quâ intonatâ sedent insimul cum illo. (a) Si tamen Clerico vel etiam Diacono Antyphona aliqua de causa præintonaretur, non surgerent Sacerdotes, qui locum in eadem parte occuparent.

IV. Tempore capituli stat Clerus versus Altare, sed tempore Hymni, conversus est ad chorum; atque pro versiculo sequenti, vertit se ad Altare denuo. Ad Hymnos *Veni Creator* & *Ave Maris Stella* genua flectunt omnes per id tempus, quô canitur prima stropha; (b) excipiuntur Acolythi, sua tunc præ manibus habentes candelabra: Celebrans autem non flectit prius, quam eandem intonaverit stropham. Idem servatur ad istam stropham *O! Crux ave spes unica* etiam tempore Paschali & ad *Tantum ergo* Sacra-

(a) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 3. Gavant *sect. X. cap. III. de Cærem. ad Hor. Can.* (b) Cærem. Episc. *supr.* Bauldr. *supr. num.* 14. & 16. Gavant *supr.* (c) Cærem. Episc. *supr.* Braulion *supr. num.* 8. Bauldr. *supr. num.* 17.

Sacramentum si fiat Officium ante Sanctissimum Sacramentum, quamvis in Tabernaculo reconditum; sicut & ad istam in Laudibus (d) *O Salutaris Hostia* juxta locorum consvetudinem.

V. Dum canitur ultima Hymni stropha, si trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis mentio habeatur in ea, inclinat se Clerus uti ad *Gloria Patri*; (e) quod observatur in omnibus Hymnis, Versiculis & Antyphonis, in quibus tres Divinæ Personæ explicitè designantur. [f] Fit quoque inclinatio capite detecto ad Nomen *JESUS, MARIÆ* atque illius Sancti de quo habetur Officium.

VI. Ad Antyphonam ante, & post *Magnificat* si fuerit Officium duplex, sedent in choro & caput tegunt, statim atque Celebrans prima illius verba intonaverit, aut ea Cantores repetierint; nisi tunc thurificatio chori nondum peracta foret; nihilominus stare omnes debent interea dum majores Antyphonæ Adventûs incipientes per O cantantur. [g] Stat chorus conversus in faciem toto tempore *Magnificat*; & quando Celebrans è Sede sua chorum salutaturus ad incensandum Altare, ab omnibus ut par est resalutatur.

VII. Ad Orationes stant cuncti versus Altare; si cantantur Commemorationes Clerus vertit se ad chorum dum canuntur Antyphonæ, ad Altare

(d) Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 18. Braulion *part.* 4. *appendix* 3. *cap.* 3. *num.* 10. Bauldr. *p.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. (e) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 1. Gavant & Merat. *sect. X. cap. II.* Bauldr. *supr. num.* 26. (f) Gavant & Merat *supr.* Bauldr. *part* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Braulion *part.* 2. *append.* 3. *cap.* 2. *num.* 8. & *sequ.* Castald. *lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 4. *num.* 5.

tare verò dum dicuntur versiculi & Orationes, post [g] *Fidelium animæ* si Celebrans cum suis Officialibus reversurus est ad Sacristiam sejunctim à Clero, ad illum se convertunt omnes ut eum resalutent ante discessum.

VIII. Sub tempus Completorii, stat Clerus versus Altare à *Jube Domne benedicere* usqve ad *Confiteor* exclusivè. Muniunt se singuli signô Crucis ad *Adjutorium*: dum dicitur à Celebrante *Confiteor* conversi sunt in faciem, & quando illud ipsi dicunt inclinant se mediocriter convertentes se versus eum, qui Celebrantis Officium gerit, ad ista verba *Et Tibi Pater*, & *Te Pater*; (h) producunt signum Crucis ad *Indulgentiam*: & postea se vertunt ad Altare usque ad *Alleluja* vel *Laus Tibi Domine* ac observant in Psalmis, Hymno, Capitulo, Cantico *Nunc dimittis* & sequenti Oratione easdem Cæremonias quas & in Vesperis; excepto quod nulla fit incensatio altaris ad Canticum *Nunc dimittis* (i) Ad Antiphonam de Beatissima Virgine quæ in fine istius horæ decantatur, Clerus genua flectit, præterquam diebûs Dominicîs à primis Vesperis usque ad secundas inclusivè, totoque tempore Paschali:

IX. Ad Matutinum à precatiuncula quæ fit flexîs genibûs statim post ingressum, stant omnes versus altare ab initio usque ad Hymnum exclusivè. Quisque signum Crucis producit in labiis suis, quando intonatur à Celebrante *Domine labia*, & aliud super se more solito dum ab

(g) Bauldr. *part.* 2. *cap.* 6. (h) Bauldr. *supr. cap.* 13. (i) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 4.

ab eodem dicitur *DEus in adjutorium*: [k] omnes & singuli nullô exceptô genua flectunt ad ista verba: *Venite adoremus & procidamus ante DEum.* [l] ad subsequentem versiculum *Gloria Patri* inclinant se versus altare, et per Hymnum convertunt se ad chorum inclinantes se ut supra notatum est n. 5.

X. Per omnes Psalmos Clerus sedet (m) capite tecto observatque dicta superius. n. 2. & 3. ad versiculos in fine cujuslibet Nocturni stat versus altare usque ad primam benedictionem inclusivè. [n]

XI. Ad lectiones omnes sedent cooperto capite, quod discooperiunt solum ad secundas tertiasque benedictiones quamvis stet Celebrans; [o] & ad *Gloria Patri* tertiî cujusquê responsorii inclinant se. Verùm ad primam lectionem tertii Nocturni stat Clerus conversus ad illum, à quo legitur textus Evangelii ad hæc verba usque *Et reliqua*: quibûs prolatîs iterum sedet Clerus, rursus ad ultimam lectionem surgit Clerus statque dum à Celebrante legitur, ob reverentiam ipsi debitam. [p]

XII. Toto tempore Cantici *Te DEum laudamus* stat Clerus conversus facie ad faciem, sed ad versiculũ *Te ergo quæsumus*, flexîs est quisque genibûs [q] jam verò ad Laudes eædem prorsus occur-

(k) Braulion *part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 1. *num.* 6. (l) Baul. *part.* 2. *cap.* 7. Castald. *lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 6. (m) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 3. (n) Cærem. Episc. *supr.* Castald. *lib. sect.* 5. *cap.* 11. *num.* 4. Braulion *supr.* (o) Bauldr, *supr. cap.* 6. *num.* 2. (p) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 6. Braulion *part.* 4. *append.* 3. *cap. num.* 10. (q) Cærem. Episc. *sup. cap.* 5.

occurrunt Cæremoniæ, quæ & ad Veſpetas. [r]

XIII. Ad horas minores poſt precatiunculam quæ fit à principio flexîs genibûs, ſtant omnes verſus altare uſque ad Hymnum; quo durante converſi ſunt in faciem, poſtea ſedent tempore Pſalmorum, obſervantque relata ſuperiùs n. 8. & 9. Repetitâ Antyphonâ ſurgunt, & ad altare ſe vertunt, permanentque ita à Capitulo ad finem uſque cujuslibet horæ; [s] excipitur Prima in qua convertunt ſe in faciem tempore *Confiteor* (ut dictum eſt ad Completorium] ſedentque dum legitur Martyrologium, (t] ſed die Paſchatis ſtant ad iſta verba *Hac die* quoadusque annuntientur Calendæ; (u) ſtant pariter in Vigilia Nativitatis Chriſti Domini ab initio ad hæc uſque verba *In Bethlehem Judæ*, quæ dum proferuntur, debent omnes eſſe flexis genibus uſque ad iſta *Nativitas Domini Noſtri JEſu Chriſti ſecundum carnem* incluſivè, (x)

XIV. Advertendum 1mò quod in Feriis majoribus Clerus genua flectat, quotempore dicuntur preces in fine horarum, uſque ad *Benedicamus Domino* excluſivè poſt ultimam Orationem; Celebrans verò ad iſta duntaxat *Dominus vobiscum* excluſivè ante primam Orationem: obſervari nihilominus poteſt in hoc caſu conſuetudo

(r) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 6. (s) Cærem. Epiſc. *ſupr.* (t) Bauldr. *ſupr. cap.* 6. (u) Braulion. *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. & Merat. *ſect. V. cap.* 21. *de Martyrol.* (u) Bauldr. *part.* 4. *cap.* 12. *num.* 1. Caſtald. *lib.* 5. *ſect.* 9. *cap.* 1. num. 2. Merat. *ſect. VI. cap. XIV. de temp. Paſch.* (x) *Martyrol. Rom.* Gavant & Merat. *ſect. VI. cap. VI. de Vigil. Nativ.* Bauldr. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 5.

tudo in omnibus fermè locis introducta, quâ fit ut non ſurgat Clerus niſi poſt verſiculum Fidelium animæ [y]

XV. Advertendum 2dò quod juxta Cæremoniale lib. 2. cap. 33. quando fit Officium corã altari in quo expoſitum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, poſſunt quidem in choro ſedere more ſolito ob diuturnitatem Officii, aſt caput tegere non debent, quod ſimiliter obſervandum quamdiu reperitur Sanctiſſimum Sacramentum in corporali tempore Miſſæ privatæ: ſique contingat ut interea fiat Elevatio, aut adminiſtretur Sacra Communio, tunc totus chorus ſtat aperto capite; (z] quamquam ad hoc evitandum multò ſatius ſit, Miſſam non celebrare in altari, coram quo fit Officium.

ARTICULUS V.
De Aſperſione Aquæ benedictæ.

I. QUoniam Aſperſio Aquæ benedictæ, juxta Cæremoniale & Miſſale fieri debeat quolibet die Dominico, (niſi quando celebrat Epiſcopus ſolemniter] debet tempeſtivè Sacriſtianus, quidquid ad Benedictionem Aquæ neceſſariò requiritur præparare; omnibus itaque paratis Celebrans Albam & Stolam coloris diei competentis indutus abſque manipulo, [a] aut alius Sacerdos ad hoc deputatus, qui ornatus ſuperpelli-

(y) Gavant *ſect. V. cap. VII. de præcib.* Braulion *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 1. *num.* 23. (z) Bauldr. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. & 8. (a) Gavant & Merat *Part. IV. Tit. XIX. de Rub. Bened.* Bauldr. *part.* 2. *cap.* 8.

perpelliceô & ſtolâ violaceâ tantùm ex Rituali Romano; (b) Benedictionem hanc abſolvit, prout in Miſſali præſcribitur, dicendo Orationes ibi notatas junctîs manibûs, uſque ad Antyphonam *Aſperges me* aut *Vidi aquam* excluſive; Clerico aliquo reſpondente, ac vaſculum cum ſale præ manibus tenente. Verumtamen diebûs Paſchatis & Pentecoſtes, nulla fit Aquæ benedictio in Eccleſiis ubi adſunt Fontes Baptiſmales, ſed ea adhibetur ad aſperſionem aqua, quæ pridie benedicta eſt; [c] quæ ad hunc effectum ſeparari debuit, quam in fontes Olea ſacra infunderentur.

II. Facta aquæ benedictione, Cleròque jam in choro congregatô, Celebrans paratur ſupra Albam & Stolam pluviali coloris ſacro & officio competentis abſque manipulo, [d] ſacri verò miniſtri qui ibi inſervire debent, ornamentis ſuis conſuetis omnibus induuntur, manipulo excepto; Thuriferarius deferens Vas Aquæ benedictæ, ipſum tenet manu ſiniſtra aliquantulùm elevatum uſque ad pectus, mediocriter tamen ab eo remotum, dextrâ verò Aſperſorium inter pollicem & indicem, firmans illud ſuper labrum dicti vaſculî; (e) & Acolythi candelabra ſua more conſueto. Cunctis ita paratis inclinant ſe Cruci ſacriſtiæ, deinde Celebranti more conſueto, moxque ad altare progrediuntur hoc ordine, imprimis Thuriferarius præcedit ſolus deferens vas

aquæ

(b) Ritual. Roman. *de Bened.* (c) Rubr. Miſs. 15. *de Bened.* (d) Rubr. Miſs. 11. *ſupr.* Cærem. Epiſc. *libr. 2. cap.* 31. (e) Merat. *Part. IV. Tit. XIX. de Rubr. Bened.* Bauldr. *part. I. cap.* 15. *num.* 1.

aquæ benedictæ cum aſpergillo eô modô ut ſupra diximus, illum ſequuntur Acolythi cum candelabris ſuis, & cereis ardentibus, poſt iſtos venit Cæremoniarius junctîs manibûs detectoque capite, ſicut & alii tres præcedentes: tandem Celebrans ſubſequitur incedens medius inter ſacros Miniſtros, qui alia manu pectori ſuo admota ſuſtentant, alia anteriorem partem pluvialis, & hi tres tecto capite procedunt: (f) ſed ſi portæ ita ſint anguſtæ ut terni uno ordine tranſire nequeant, primus tranſit Subdiaconus deinde Diaconus & Celebrans.

III. Salutant tranſeundo chorum & altare quãdo ad illud perveniunt eo modo ut dictum eſt ſuperius Art. 1., & ad initium Miſſæ ſolemnis; poſt hæc Celebrans & ambo ejus ſacri Miniſtri genua flectunt ſupra infimum altaris gradum, atque Miniſter aquæ benedictæ ad dexteram Diaconi in plano (g) Cæremoniarius interim bireta defert ad ſcamnum in cornu Epiſtolæ & Acolythi ſua candelabra deponunt in Abacu ſeu Credentia, ibique flectunt, donec erexerint ſe ſacri Miniſtri; (h) conformant ſe deinceps choro ſtantes in eodem loco per totum tempus aſperſionis.

IV. Miniſter aquæ benedictæ, aſpergillum Diacono porrigit nullo præmiſſo oſculo, ſed Diaconus illud Celebranti dat cum oſculis, primo aſpergilli deinde manûs; (i) niſi tunc expoſitum eſſet SS. Sacramentum, in hoc enim ca-

(f) Merat. *ſupr.* (g) Cærem. Epiſc. *ſupr.* Merat. *ſupr.* Bauldr. *part.* 2. *cap.* 8. Braulion *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. (h) Bauldr. *ſupr.* (i) Merat. *ſupr.* Bauldr. *ſupr. num.* 5. Braulion *ſupr.*

su neutrum osculatur prope altare, postea Celebrans adhuc flexis genibus intonat Antyphonam *Asperges me*, vel si fuerit tempus Paschale *Vidi aquam* prosequentibus eam cantoribus cum choro, tum aquâ benedictâ ter aspergit anteriorem partem altaris, (k) aquam projiciendo imprimis ad medium, deinde ad cornu Evangelii, ac denique ad cornu Epistolæ; sacris Ministris interim sustentantibus collaterales partes pluvialis. Antequam surgat aspergit seipsum; postquam verò surrexit Diaconum & Subdiaconum, qui aspersi illico surgunt. [l] Expositô Sanctissimô Sacramentô uti non fit signum Crucis super altare ad Evangelium S. Joannis in fine Missæ, ita & hic ob eandem rationem non aspergitur altare, [m] sed cætera fiunt more consueto.

V. Postquam erexerint se sacri Ministri, Diaconus recipit de manu Celebrantis aspergillum cum osculis consuetis, quod è vestigio tradit Acolytho aquæ benedictæ, postea salutato altari procedunt omnes in chorum capite detecto, [n] sed antea Diaconus & Subdiaconus ita se cum Celebrante vertunt, ut Diaconus semper occupet Celebrantis dextram cum Ministro aquæ benedictæ, Subdiaconus verò sinistram; Celebrans autem cunctas habet manus sicut in principio. Atque ut sacri Ministri se vertere possint absque præcipi-

(k) Cærem. Episc. *supr.* Gavant *supr.* Bauldr. *supr.* Braulion *supr.* (l) Merat *supr.* Bauldr. *supr.* Castald. *lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. (m) Gavant *supr.* Bauldr. *supr. num.* 3. Braulion *supr. num.* 13. (n) Gavant & Merat *supr.* Bauldr. *supr.* Braulion *supr.*

præcipitatione & confusione, vertat se oportet Celebrans admodum lente, ac eodem tempore removeat sese uno aut altero passu à gradibus altaris.

VI. Chorum salutant intrantes in eum, posthac rectà tendunt ad digniorem è Clero, sacris Ministris unoquoque ex sua parte sublevantibus fimbrias anteriores pluvialis Celebrantis, qui recipiens à Diacono aspergillum modô consuetô, digniorem seorsim aspergit cū inclinatione mutua, si fuerit ille loci superior aut vir alius insignis (o) postea inclinatione communi eos omnes salutat, qui sunt in prima parte chori illosque continuò aspergit, aquam pluribus insimul projiciendo: sed si Canonici essent aut alii majores dignitatis, aspergendi forent sigillatim, cum inclinatione ante & post, [p] sicut etiam Capparii, qui aspergerentur primi, si jam essent in choro. Cum pervenit Celebrans in finem primæ partis chori, Dacono reddit aspergillum, quod iste tradit Ministro aquæ benedictæ; deinde retrahens gressum facit infra scamnum Cappariis aut Cantoribus præparatum, reverentiam convenientem altari, aspergit deinceps alteram chori partem eôdem modô sicut primam; interim qui choro intersunt, stant nudo capite facie versa ad invicem, & inclinant se Celebranti tum, cum ab ipso asperguntur aquâ benedictâ. (q) Post aspersionem Cleri salutat Celebrans illum hinc &

(o) Merat *supr.* Bauldr. *supr. num.* 7. (p) Gavant. & Merat *supr.* Bauldr. *supr.* Braulion *supr.* (q) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 31. Bauldr. *supr.* Castald *lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. Braulion *supr. num.* 1.

inde, incipiendo ab ea parte quam primo aspersit, vadit postea populum aspersurus; altare toties deinceps cum Ministris salutando, quoties ante medium illius pertransit.

VII. Sub tempus aspersionis recitat submissa voce Celebrans post Antyphonam *Asperges me* integrum Psalmum *Miserere* alternatim cum sacris Ministris, [r] subjungitque in fine versiculũ *Gloria Patri*, præterquam in Dominica Passionis & Palmarum; repetit postmodum Antyphonam *Asperges me.* Tempore Paschali post Antyphonam *Vidi aquam* recitat loco Psalmi *Miserere* primum duntaxat versum Psalmi *Confitemini* (s) nisi illum totum memoriter teneant ipse & ejus Ministri.

VIII. Finita aspersione Cleri populique recipit à Celebrante Diaconus cum consuetis osculis aspergillum, & illud tradit Ministro aquæ; postea quo ordine venerunt, eodem revertuntur ad altare, quod salutant ut in principio. Tũ Celebrans recepto iterum aspergillo, a Diacono solitô modô vertit se cum illo, & stans in eodem loco aspergit Acolythos, qui penes Credentiam remanserunt, & insimul Cæremoniarium & aquæ Ministrum, qui se protunc in mediũ collocarunt: (t) deinde Diaconus receptum aspergillum reddit quamprimum Acolytho, ad sacristiam properanti, ut ibi præparet thuribulum. Repetita in choro integra Antyphona, (u) cantat lum

(r) Rubr. Mis s. 11. *supr.* Gavant & Meraf. *supr.* Bauldr. *supr.* Castald. *supr.* (s) Merat *supr.* Bauldr. *supr.* (t) Merat *supr.* Bauldr. *supr.* (u) Merat *supr.* Bauldr. *supr, num.* 25. Braulion *supr. num.* 10. Castald. *supr. num.* 2.

Celebrans tonô ferialî versiculos & Orationes, legens in Missali quod ante se sustentant utrinque sacri Ministri protunc in pedes erecti. Absoluta Oratione Missale refert Cæremoniarius supra altare, unde illud acceperat, & apertum relinquit ad Introitum Missæ illius diei.

IX. Si Celebrans immediatè post aspersionem aquæ benedictæ inchoaturus sit Missam, factâ reverentiâ altari cum Ministris se recipit versus cornu Epistolæ ad scamnum quod est Officialibus sacris præparatum, (ubi Cæremoniarius vel per se vel per alium planetam cum tribus manipulis pro Celebrante & Ministris sacris afferre debuit) ibique capit manipulum & casulam; [u[postquam exutus est Celebrans pluviali; quod statim ad sacristiam est deferendum, porrigit illi Subdiaconus cum solitis osculis manipulum, Diaconus verò imponit casulam; (x] postea manipulos suos accipiunt sacri Ministri: deinde salutatoab omnibus cõpetenter altari, inchoat Celebrâns Missam. Expedit tamen, ut in Festis præcipuis & quando expositum est Sanctissimũ, ut Celebrans & omnes ejus Ministri revertantur in sacristiam ad sua ornamenta accipienda; sed in hoc casu chorus Introitum non prius canit, quàm ad altare Celebrans advenerit, Missamque inchoaverit.

X. Quando post aspersionem aquæ benedictæ fieri debet Processio ante Missam, non mutat Celebrans ornamenta, sed finita Oratione, stans in

(u) Cæ rem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 31. erat *supr.* Braulion *supr. num.* 15. (x) Castald. *supr. num.* 3.

 eodem

eodem loco thus immittit in thuribulum more solito, si pro solemnitate Processionis deferendum sit ut infra dicetur. Thuriferarius incedit primus ante Crucem, sequitur Subdiaconus Crucem deferens medius inter Acolythos sua præ manibus habentes candelabra, (y) post ipsos Cæremoniarius, deinde Clerus, tum denique Celebrans cum Diacono à sinistris, qui tunc trabeam ejus, non sublevat; ast si alius fuerit Crucifer à Subdiacono Missæ, quemadmodum observatur in solemnioribus Processionibus, occupat tunc Diaconus Celebrantis dextram, Subdiaconus verò sinistram, & uterque trabeam sublevat ex sua parte. Et si debeant omnes esse aperto capite quamdiu sunt in Ecclesia, Celebrans tamen men solus est capite tecto; [z] si verò Processio fiat extra Ecclesiam, tegunt caput sacri Ministri statim atque ab altari profecti sunt, & aperiunt in reditu ad ingressum chori, quem ex utraque parte salutant, euntque deinceps aperto capite usque ad altare. Finita Processione gerunt se Officiales Missæ, prout dictum est numero superiori post aspersionem;

XI. Si Episcopus Diæcesanus vel Archiepiscopus Provincialis aut S. R. E. Cardinalis in omni loco, intersint aspersioni aquæ benedictæ, erigit se Celebrans statim, atque aspersit altare, deinde salutato competenter altari, relictisque in eodem

loco

(y) Castald. *lib. 2. cap. 1.* Braulion *part. 3. cap. 2. num. 2. & 3.* (z) Bauldr. *part. 3. cap. 16. num. 17.* Bauldr. *supr. num. 19.* Braulion *supr.*

loco Ministris sacris in genua provolutis accedit ad Prælatum cum Cæremoniario & Ministro aquæ tantum, [a] ob reverentiam Episcopali dignitati debitam. Cum advenit, inclinat se illi, profundè, alii duo genuflectunt; postea aspergillum accipiens, illud osculatur & offert Prælato cujus osculatur manum. Tunc se ipsum aspergit Prælatus primum, deinde Celebrantem, qui recipit statim aspergillum quod osculatus est manum Episcopi; mox eum salutant ut ante reddensque Clerico aspergillum revertitur ad altare, quô salutatô stans aspergit Diaconum & Subdiaconum flectentes adhuc genua; [b] postea cum Cæremoniario & Ministro aquæ solis, ut ante, it ad chorum, ut aspersionem faciat, & cætera quæ supra retulimus. Si coram Prælato transeat salutat illum profunda inclinatione, alii verò genuflexione; interea sacri Ministri erigunt se postquam aspersi sunt, & Celebrantem expectant, stantes in plano infra gradus altaris (c)

XII. Si quis Episcopus extra locum suæ jurisdictionis aspersioni aquæ benedictæ interesset ornatus Rochetto & Mozetta, Celebrans post suimet ipsius aspersionem, oblatum iret aspergillum Episcopo ut supra, sed ab illo non aspergeretur, postea sacros Ministros Celebrans aspergeret, & cum illis aspersionem Cleri & populi de more perageret. At si Episcopus præsens esset absque Rochetto & Mozetta, poterit Celebrans illi aquam benedictam dare, non quidem eum aspergendo sed cum convenienti reverentia & o-

(a) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 3.* (b) Cærem. Episc. *supr.* (c) Cærem. Episc. *supr.*

sculo

sculo aspersorii ante & post, præsentando illi aspersorium, ex quo indice digito aquam accipiet & sibi ipsi in fronte in modum Crucis imponet. [d) Si multi simul adessent Prælati darentque signum Celebranti ut ipsos aspergeret, quod præsertim accidere posset, si pares essent ordine ac dignitate, tunc illos sigillatim aspergeret, inclinando se profundè uni cuique ante & post. [e] Quod autem attinet ad Laicos magnæ notæ ut sunt Principes, Principissæ, Provinciarum Gubernatores &c. seorsim asperguntur ordine infra relato pro thurificatione, sed tamen non porrigitur ipsis ad manum aspergillum: jam verò particulares Parochiarum Domini seu Dynastæ sicut & aliæ personæ notabiles, qui de jure locum occupant ab aliis separatum, seorsim asperguntur post omnem Clerum, & ante vulgus populi, si talis sit consuetudo, quæ introducenda non est, ubi non est recepta.

XIII. Si præ nimio hominum concursu non posset commodè Celebrans populum aspergere, Sacerdotes aliqui stolâ & superpelliceô induti quorum unusquisque penes se haberet Acolythum vas aquæ deferentem, possent servata locorum consuetudine aspersionem facere ad utramque Ecclesiæ partem.

XIV. Annotandum tamen quod aspersio Cleri quin etiam populi quantum fieri potest facienda sit ab eo qui solemnem Missam postea celebraturus est, nisi sit Episcopus juxta Missale &

& Cæ-

(d) Merat *supr.* Braulion *supr. num. 7.* (e) Merat. *supr.* Bauldr. *supr. num. 15.*

& Cæremoniale ac Decreta S. C. R. 27. Novembris A. 1632. & 16. Novembris 1649. (f) Quod si propter aliquam necessitatem particularem alius Sacerdos ab eo qui Missam celebrare debet, aspersionem faceret, non eum comitarent sacri Ministri sed solum Acolythus unus (g)

XV. Si futurus sit ad Missam Presbyter Assistens, non assistit ipse ad aspersionem aquæ benedictæ; sed circa finem Orationis advenit in sanctuarium, ubi trabeam induit, quo tempore Celebrans casulam & manipulum. Si verò Celebrans cum suis Ministris ad sacristiam reverterentur ad accipienda ornamenta thusque benedicendum, illuc cum illis conveniret Presbyter Assistens, ibique trabeam indueret.

ARTICULUS VI.
De Thurificatione.

I. INcensum benedicit Celebrans quotiescunque illud imponit in thuribulum, exceptâ Feriâ sextâ Parasceves, & cum incensare debet solummodo Sanctissimum Sacramentum. Thus in thuribulum ter imponit ac benedicit ad altare intra Missam solemnem. 1mò. Ante Introitum. 2dò. Ante Evangelium. 3tiò. Post Offertorium; exceptâ Missâ pro Defunctis in qua semel duntaxat imponit, scilicet ad Offertorium, [h] In Vesperis quoque & Laudibus, thus benedicit tantummodo semel ad *Magnificat* & *Be-*

(f) Rubr. Miss. 11. *de Benedict.* Cærem. Episc. *supr.* Merat. *in Indic. Decret.* (g) Bauldr. *supr.* Merat *supr.* (h) Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 23.*

 nedi-

nedictus. Illud præterea benedicit in sacristia ante Missam, & ad absolutionem solemnem pro Defunctis, sicut & ad exequias. Jam verò circa impositionem & benedictionem incensi sicut etiam circa altaris thurificationem, sive in Missâ sive in Vesperis aut Laudibus, ea Celebranti & Officialibus ejus observanda incumbunt, quæ hac de re dicta sunt in Missa solemni parte 2. Art. 3. n. 4. & 5. Quod autem speciale est thurificationi ad Offertorium, specificatum habetur ibidem Art. 7. & 9. item quæ servanda sunt coram exposito Sanctissimo Sacramento continentur deinceps Art. 12. n. 4.

II. Ut ritè fiat tam altaris quam personarum incensatio opus est juxta Cæremoniale lib. 1. cap. 23. ut in ipso actu thurificans graviter & modestè se gerat, abstineat se ab omni speciali motu corporis & capitis: sinistram manum immobilem prope pectus contineat, dexteram verò, quâ prope operculum catenas tenet, modestè & absque strepitu, brachium sensim extendens, cũ thuribulo moveat ad rem vel personam, quæ seorsim incensatur, tum eam ad se retrahens thuribulum sub brachio dextro leviter ac competenti mora reducat. Præterea dum thurificatur altare, tot omnino passus quot thuribuli ductus perficiendi sunt, ut æquali motu pes, manusque ferantur. (i) Denique advertendum est quod Missale & Cæremoniale, dum dicunt distribuendos esse thuribuli ductus juxta candelabrorum dispositionem, tria in uno quoque cornu altaris

(i) Cærem. Episc. *supr.*

ris candelabra esse supponant; namque si pauciora essent, non ideò minuendus foret numerus incensationum; quia altaris tabula incensatur non candelabra: quapropter qui thurificat illam, non debet manus extollere versus Crucem & Reliquias, sed tantummodò thuribulum manu ducere æquali altitudine, ac si ducenda foret linea recta super altare.

III. Ter intra Missam incensantur personæ, 1mò ante Introitum incensatô altarî incensat Diaconus Celebrantem duntaxat, sed si Episcopus in sua Diœcesi aut Archiepiscopus in sua Provincia, aut S. R. E. Cardinalis in quolibet loco, sacro interest cum Infula & Pluviali per suum Presbyterum Assistentem, thurificatur post Celebrantem; qui in eo casu incensatur duplici tantũ ductu. [k] Quodsi Episcopus vel alius ex supra nominatis Prælatis adfuerit Rochettô & Mozettâ duntaxat ornatus, non ipse tunc incensabitur sed solus Celebrans. 2dò Post Evangeliũ Celebrãs incensatur à Diacono; quod si Episcopus seu quivis alius ex præfatis intersit cum Pluviali & mitra, ipse tantum excluso Celebrante thurificatur; si verò his careat, adsitque Mozettâ & Rochettô tantum indutus, nec ipsemet, nec Celebrans tunc incensatur (l) 3tiò. post Offertoriũ altari jam thurificato, thurificatur Celebrans ante quemvis alium, cujuscunque sit dignitatis; [m] postea Diaconus ad generalem chori thurificationem procedit, quemadmodum relatum est supra

(k) Cærem. Episc. *supr.* (l) Cærem. Episc. *supr.*
(m) Cærem. Episc. *supr.*

ſupra, Parte 2. Art. 7. n. 11. Quod verò attinet ad ordinem ſervandum in thurificandis hominibûs dignitate eminentibus ſive Eccleſiaſticis ſive Laicis, quando Miſſæ vel Veſperis ſolemnibus interſunt, ecce paucis verbis, quid hac in ſuper re collegimus ex Cærem. Lib. 1. c. 23. & ex optimæ notæ authoribus.

IV. Inter viros Eccleſiaſticos thurificantur primum Cardinales poſt Celebrantem, & inter illos præ cæteris Cardinalis Legatus ſi adſit, deinde Archiepiſcopus Provinciæ, Epiſcopus Diæceſanus, tum Archiepiſcopi & Epiſcopî extranei; poſt eos omnes, Presbyter Aſſiſtens & Diaconi honoris ſi fuerint, ac tandem Dignitates, Canonici, Abbates benedicti ſi reperiantur, Vicarius Epiſcopi, juxta Eccleſiarum conſuetudinem, Beneficiati inferiores & reliqui ex Clero; (n) poſtremo Diaconus & Subdiaconus Evangelii. Quod ad Laicos attinet, Reges thurificandi ſunt immediatè poſt Celebrantem ante Cardinales, Archiepiſcopos & Epiſcopos: Principes etiam Supremi & Gubernatores Provinciarum incenſantur immediatè poſt Epiſcopum [o] Patroni Eccleſiarum aliique Magnates in ſuis dominiis thurificantur poſt Clerum ſed ante vulgus populi. Reginæ & Magnæ Principiſſæ thurificandæ ſunt, ubi & quomodo viri ipſarum, ſi adeſſent thurificarentur. Verumtamen laudabilis locorum conſuetudinis habenda eſt ratio circa perſonarum thurificationem, ut quantum fieri poteſt pax conſervetur Eccleſiaſticos inter & Laicos.

V. Nu-

(n) Cærem. Epiſc. *ſupr.* (o) Cærem. Epiſc. *ſupr.*

V. Numerus incenſationum dignitati rerum vel perſonarum quæ incenſantur accomodandus eſt, prout habet Cæremoniale loco ſupra citato, Quocirca 1. Sanctiſſimum Sacramentum, Crux altaris, Celebrans, Cardinales, Epiſcopi, ſicut & Abbates etiam Commendatarii in propriis Eccleſiis, Reges, Principes & Gubernatores Provinciarum thurificantur triplicî ductû [p] 2. Dignitates, Canonici, Presbyter Aſſiſtens, ſacri Miniſtri, Capparii, ſicut etiam Parochi, & alii Superiores Eccleſiarum minoris dignitatis quando non celebrant duplicî ductû incenſantur. (q) Benficiati Sacerdotes & in minoribus Eccleſiis cuncti Sacerdotes unicô ductû thurificantur; continuòque thurificantur cæteri ex Clero. Patroni Eccleſiarum & Magnates in ſuis dominiis incenſantur à thuriferario unô vel alterô thuribuli tractû prout fert locorum conſuetudo. 3. Coram Epiſcopis extraneis, coram Nuntio Apoſtolico cui non competit poteſtas Legati de latere, vel qui reperitur extra limites legationis ſuæ, coram Abbate Commendatario in ſua propria Eccleſia, atque coram Prorege, aut Gubernatore Provinciæ, Celebrans quamvis Epiſcopalî gradû non fulgeat, incenſatur ſicut & ipſi triplicî ductû ut moris eſt, (r) ſed duplicî duntaxat coram Epiſcopo Diæceſano aut Archiepiſcopo Provinciæ vel Cardinali in omni loco. (s) At quando proprius Epiſcopus aſſiſtit Miſſæ coram Legato vel aliis Cardinalibus, tunc bis

tantum

(p) Cærem. Epiſc. *ſupr.* (q) Gavant & Merat. *Part. II. Tit. IV. de Offert.* Bauldr. *part. 2. cap. 9. art. 5. num. 19.* (r) Merat. *ſupr.* (s) Cærem. Epiſc. *ſupr*

tantum incensatur sicut & Celebrans; nec non Principes & Gubernatores Provinciarum, si illos ibi adesse contingat: in hoc autem casu quô proprius Episcopus duplicî tantum ductû thurificatur, Dignitates, Canonici, Ministri sacri & Capparii unicô ductû incensantur; [t] & reliquus Clerus sine mora incensatur & absque interruptione.

VI. Thurificans inclinat se ante & post, iis singulis quos sigillatim incensat, & isti eodem tempore inclinant se ad ipsum; hæc autem inclinatio debet esse major aut minor, pro ratione majoris aut minoris dignitatis, & ejus qui thurificat & eorum qui thurificantur, adeò ut si thurificans minoris sit dignitatis, profundius se inclinet, si dignior minus profundè, & vicissim. Quantum ad illos quos insimul & absque interruptione incensat, eos in principio salutat inclinatione comuni & ab iis ut par est resalutatur. Episcopus & Legatus benedictionem dant thurificanti, (u] nulla ei facta inclinatione nec ad illum inclinant se cæteri Prælati, Celebrans quoque non inclinat se Diacono dum ab illo in Missa thurificatur, sed inclinat se Cappario per quem incensatur ad Vesperas.

VI. Quicunque incensantur, stare debent aperto capite, exceptô Episcopô. qui licet aliquando incensetur cum Mitra semper tamen stans [v] solus enim summus Pontifex sedens incensatur ab Assistente suo in genua provoluto. Eorum qui sigillatim incensantur quisque priùs debet capitis

(t) Cærem. Episc. *supr.* (u) Cærem. Episc. *supr.* (v) Cærem. Episc. *supr.*

capitis inclinatione honorem thurificationis deferre, vicino suo immediatè sequenti, hoc autem non observatur ab iis qui thurificantur in communi, aut absque inclinatione speciali; neque á Superioribus erga inferiores suos.

VIII. Qui ordo servatur in thurificando choro post Offertorium, idem quoque servandus est in Vesperis ad *Magnificat* & in Laudibus ad *Benedictus*: excepto quod Celebrans incensatur in choro postquam pervenit ad locum suum & non ad altare; [x] nisi præsens sit Episcopus Diæcesanus, uti dictum est, Art. 5. de Vesperis solemnibus: & quod thurificatio chori in Missa fiat à Diacono, & in Vesperis à thuriferario; qui thurificat omnes præter Celebrantem, Cardinales, Episcopos Presbytero Assistente carentes, quos incensat dignior Capparius; y) sicut & Reges, Principes supremæ authoritatis aut è regio sanugine: Gubernatores Provinciarum, Reginas & Principissas magnas.

IX. Si Clerus ita numerosus esset ut incensari facile non posset, ante finem Præfationis in Missa, vel ante initium Orationis in Vesperis & in Laudibus, nihil impediret in eo casu quominus chorus nullâ interpositâ morâ continuò incensaretur, præmissa inclinatione comunî ad omnes ex utraque parte adstantes; vel potiùs thurificari Sacerdotes possent unô ductû singuli, absque inclinatione speciali ante & post, ac deinceps reliqui sine interruptione, juxta locorum consuetudinem. At verò Prælati, Superior loci,

(x) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 2. & 3.* (y) Cærem. Episc. *supr.*

ci, Capparii, ſacri Miniſtri, Canonici & aliæ Perſonæ notabiles ſupra deſignatæ, ſemper thurificandæ ſunt ſigillatim ordine ſuæ dignitatis & ſeſſionis cum inclinatione ante & poſt.

ARTICULUS VII.
De Pace.

I. CÆremonia de danda pace convenit omnibus Miſſis ſive ſolemnibus ſive privatis [ſi excipiantur Miſſæ pro Defunctis, atque in Cæna Domini, & Sabbatho Sancto] (z) dummodo adſint qui pacem recipere poſſint ac debeant, juxta ea quæ numero ſequenti continentur.

II. Pax datur oſculô mutuô vel pretioſæ cujusdam materiæ inſtrumentô, in quo ſculpta ſit Effigies crucifixi, & cui alligatum ſit velum ex lino, vel ſerico ejusdem cum apparamentis coloris. Nonniſi in Miſſa ſolemni & Viris Eccleſiaſticis pax oſculô datur, ſed datur cum inſtrumento tam in ſolemni quam privata Miſſa illuſtribus Laicis, quos thurificare ſolet Diaconus; [a] quamquam uſus obtinuit in multis Eccleſiis, ut inſtrumentum adhibeatur ad pacem dandam Epiſcopis, quãdo nullus eſt penes ipſos Vir Eccleſiaſticus inſignis notæ, qui vices gerat Presbyteri Aſſiſtentis; ſed nemini danda eſt cum patena, prout inhibuit Pius V. *Epiſt. ad Arch. Tarrac.*

III. In Miſſis privatis, antequam exhibeatur adſtan-

(z) Cærem. Epiſa. *lib. 2. bap. 11. & 27.* Rubr. Miſs in Miſs. *Cæn. Dam. & Sabb. S.* (a) Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 24.* Caſtald. *lib. 2. ſect. 1. cap. 3. num. 6.*

adſtantibus inſtrumentum Pacis, Celebrans illud oſculatur dicens *Pax tecum* & à Clerico qui reſpondet *Et cum ſpiritu tuo* defertur ad perſonas, de quibus mentio fuit ſuperius. Aſt in Miſſis ſolemnibus qui pacem immediatè recipit á Celebrante, illud oſculari debet, priusquam deferatur in chorum, quod fit hôc modô. Diaconus acceptam â Celebrante dat Subdiacono ſicuti dictum eſt in Miſſa ſolemni Parte 2. Art. 9. n: 5. poſtea recipit à Cæremoniario inſtrumentum pacis, quod oſculatur non dicens *Pax tecum* & illico reddit ipſi, [b] tum Cæremoniarius velô illud tergit defertque ad chorum, incedens penes Subdiaconum, cui tradit illud quando offerendum eſt iis qui oſculaturi ſunt, juxta ordinem ſervatum à Diacono in thurificatione earundem perſonarum, hoc eſt ante vel poſt Clerum. Quocirca notandum eſt, quod cum Subdiaconus quibusdam magnæ notæ perſonis daturus eſt pacem cum inſtrumento, priusquã oſculo eam dederit Clero, tunc recipit ipſe illud inſtrumentum à Diacono, defertque ab altari ad locum, & poſtquam illud oſculatæ fuerint reddit Cæremoniario; ſed ſi prius Pax danda ſit Clero, ea obſervat quæ dicta ſunt ſuperius. Si qui adſint Laici quos ſeorſim non incenſaverit Diaconus & quibus vel ex loci conſuetudine vel ex mandato Epiſcopi deferenda ſit Pax, defertur ipſis per Cæremoniarium vel Thuriferarium cum eodem inſtrumento. Diaconus

(b) Merat *Part. II. Tit. de Orat. Dom.* Braulion *Part. 2. cap. 8. num. 10.* Bauldr. *part. 2. cap. 10. art. 1. num. 10.*

nemini unquam debet pacem dare extra altare, juxta Decretum S. C. Rituum 5. Julii 1614. [c]

IV. Nonnisi stantibus datur Pax per osculum, [d] & iis solum, qui primum locum cujuslibet ordinis hinc & inde occupant; si plures sint inter Clerum diversi ordines incipiendo semper à dignioribus, ut à primo Canonico, ex utraque parte si adsint Canonici; vel si non adsint à primo Sacerdote, à primo Beneficiato, ac demum à primo Clerico ex hac & illa parte, exhibendo debitas altari salutationes, quotiescunque transeundum est per medium chori. Primus in quolibet ordine acceptam Pacem, dat vicino suo ejusdem ordinis; sicut primus Canonicus alterutrius partis, dat eam Canonico sequenti, hic alteri, & sic deinceps usque ad ultimum, qui nulli dat; idem dicendum de aliis ordinibus [e] Dans Pacem cum instrumento, illud seorsim porrigit singulis; quibus competit eam dare, tergens instrumentum qualibet vice; quod isti osculantur absque ulla invitatione mutua; id est unus ante quam Pacem recipiat alium non invitat; [f] idem dicendum de illis qui Pacem recipiunt per osculum.

V. Qui Pacem dat sive osculo sive cum instrumento neminem cujuscunque sit conditionis salutat ante, sed tantum post datam pacem; (g) & quæ tunc ab ipso exhibetur reverentia, major vel minor est secundum dignitatem Personarum qui-

(c) Merat *supr. & in Indic. Decret.* Bauldr. *supr. num.* 4. (d) Cærem. Episc. *supr.* (e) Cærem. Episc. *supr.* Merat *supr.* Bauldr. *supr.* (f) Braulion *supr. n.* 3. (g) Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 24. & 29.

quibus pax data est, isti autem illum resalutant, modô dignitati ipsius proportionatô. Præterea dans Pacem profert hæc verba *Pax tecum*, recipiens verò ista *Et cum spiritu tuo*; at si detur osculo, mutuò sese amplectuntur, qui pacem dat manus suas superponit brachiis recipientis, recipiens verò supponit manus suas ulnis dantis, & ambo genas sinistras admovent ad se invicem. (h)

VI. Si intersit Presbyter Assistens, defert ipse pacem in chorum loco Subdiaconi uti dictum est Parte 2. Art. 9. n. 9. Si verò Episcopus Diæcesanus aut aliquis alius Prælatus sit præsens, datur illi pax eôdem modô ut dictum est in eadm Parte Art. 13. num. 17. & sequentibus. Sed si plures Prælati diversi ordinis assistant simul Missæ solemni, Pax ei datur qui primum locum occupat in quolibet ordine, ut primo Cardinali, deinde primo Episcopo; &c. qui Prælati acceptam pacem dant postea illis qui sunt ejusdem ordinis ut habetur superius: n. 4. nisi scamna seu sedes quorundam ejusdem ordinis summè distent à se invicem, in quo casu Pax danda foret primo cujusvis scamni. (i) Quod si ferat locorum consuetudo ut adhibeatur instrumentum ad pacem dandam Prælatis, illud unicuique seorsim offertur ad osculandum juxta ordinem pro incensatione præscriptum.

(h) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 8. Merat. *supr.* Bauldr. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *num.* 13. (i) Bauldr. *num.* 18. Merat. *supr.*

ARTICULUS VIII.
De Communione Generali.

I. DEcantatô ultimô *Agnus Dei* qui ex Clere ad sacram Communionem accedere cupiunt, accepta pace bireta sua in locis suis relinquunt, & procedunt neminem salutantes ad medium ex opposito altaris, bini & bini junctis manibûs, efformantque duos ordines seu duas lineas in medio chori, â gradibus altaris usque ad pulpitum, tum omnes genua flectunt; si nequeunt omnes in illo spatio contineri, superstites genua flectunt suis in locis, aliosque sequuntur dum postremi propius accesserunt ad altare; sed qui ad sacram Communionem non sunt accessuri, stant in locis suis [k] prout dicetur infra. Thuriferarius paulo ante transit ad cornu Evangelii, pace tamen accepta, flectitque genua quoadusque dixerit Celebrans, *Indulgentiam* &c.

II. Celebrans sumpto pretioso sanguine supra Corporale deponit Calicem, in quem nondum infusum est vinum pro purificatione, Subdiaconus Calicem pallô tegit, (l) & illico locum mutat cum Diacono, & uterque tum recedendo, tum adveniendo genuflectit ad latera Celebrantis, non verò in medio. Quòd si transiisset ante Diaconus ad cornu Epistolæ, Calicis discooperiendi gratia, in absentia Subdiaconi qui ex choro non fuisset ad locum præfatum satis tempestivè reversus, tunc non opus ipsis foret locum

(k) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 29. Merat *Part. III. Tit. X. de Orat. Dom.* Bauldr. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 10. *num.* 2. (l) Bauldr. *supr. num.* 1. Merat. *supr.*

locum mutare, quoniam in eo casu Subdiaconus redux ex choro ascenderet ad cornu Evangelii, ut dictum est ubi de Missa solemni.

III. Si extrahenda sit sacra pixis ex Tabernaculo, retrahit se paulisper Celebrans in partem Evangelii, cum Subdiacono stante à sinistris ejus, & facie sicut ille ad altare conversa; (m) sed priusquam à medio altaris recedat caput inclinat Cruci, vel genuflectit si adsint super altare Hostiæ consecratæ, idque præstat eodem tempore quô sacri Ministri locum mutantes secundo genuflectunt à lateribus ipsius. Postea Diaconus removet Calicem aliquantulum extra medium Corporalis versus cornu Evangelii, aperit Tabernaculum, genuflectit (Celebrante & Subdiacono tunc genua flectentibus in loco ubi sunt) & sacram pixidem extrahit, ac postea discooperit, factaque denuo genuflexione recipit sese ad cornu Epistolæ supra secundum gradum, ubi stans junctis manibûs corpore mediocriter inclinato ad Celebrantem, (n) recitat alta voce *Confiteor.* Interea Celebrans & Subdiaconus qui est paululum à tergo ipsius supra suppedaneum, erigunt se ambo, quando Diaconus facit genuflexionem discooperta pixide; permanent stantes facie versa ad partem Epistolæ, tunc autem Subdiaconus stat in secundo gradu à tergo Celebrantis; (o) verum si sacram Communionem percepturus sit, genuaflectit sicut & cæteri, in-

(m) Gavant & Merat *supr.* Bauldr. *supr.* Braulion *Part.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. (n) Cærem. Episc. *supr.* Bauldr *supr.* (o) Cærem. Episc. *supr.* Gavant & Merat *supr.* Braulion *supr.*

terea dum *Confiteor* à Diacono recitatur, puta in margine ſuppedanei altaris, in eodem fermè loco, ubi ſolet Communionem recipere aliquantulum recedendo ad partem Evangelii.

IV. Non flectit genua Celebrans, ſi Hoſtias conſecravit in pixide, quia tunc Tabernaculum non aperitur à Diacono, ſed Diaconus genuflectit ſolus, ſacram pixidem collocat in medio Corporalis illamque diſcooperit, tum denuò genuflectit cum Celebrante & Subdiacono, qui è veſtigio recedunt parumper ad cornu Evangelii, ut numerô ſuperiori dictum eſt, Diaconus verò transfert ſe ad ſecundum gradum in cornu Epiſtolæ. [p] Quod ſi Hoſtiæ eſſent in Corporali: eæque ponendæ forent tantummodo ſupra patenam, quod fieri non debet niſi paucô numerô ſint, Celebrans ipſe ſuperponeret eas patenæ, genuflectendo ante & poſt, genuflecterent & ſacri Miniſtri eodem tempore à lateribus ipſius, ad locum mutandum ſi opus foret, atque Diaconus facta ſecunda genuflexione ad dexteram Celebrantis, deſcenderet illico ad ſecundum gradum in cornu Epiſtolæ, ut recitet *Confiteor.*

V. Completô *Confiteor* ſtans in eodem loco Celebrans, intelligibili voce *Miſereatur* & *Indulgentiam* &c. producendo dextrâ ſignum Crucis ſuper accedentes ad Communionem, (q) ſiniſtrâ manû interim pectori admotâ; cui Diaconus ſolus adhuc inclinatus reſpondet *Amen* nomine omnium, quemadmodum & *Confiteor* recitavit pro omnibus ſolus; [r] quare haud neceſſarium eſt

(p) Merat *ſupr.* Bauldr. *ſupr.* Braulion *ſupr.* (q) Cærem. Epiſc. *ſupr.* Bauldr. *ſupr.* (r) Merat *ſupr.* Bauldr. *ſupr.*

eſt ut cæteri recitent illud in particulari, neque ut ſignum Crucis poſtea efforment, neque pectus percutiunt, ſive ad *Confiteor* ſive ad *Domine non ſum dignus.* Poſtmodum ſi Diaconus ſacram Communionem percepturus ſit, genua flectit in margine ſuppedanei circa medium altaris ad dexteram Subdiaconi, ſi ille etiam Communionem ſit recepturus; convenit autem ut uterque illam percipiat juxta Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 13. & Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 9. & L. 2. c. 31. niſi Sacerdotes ſint qui celebrare cupiant: jam verò ſi Communionem non debeant recipere, locum permutant ſtatim atque Celebrans dixit *Indulgentiam* genuflectentes ſolummodo in medio unus poſt alium quiſque ſupra gradum ſuum, aſcendenteſque illico ad latera Celebrantis, Diaconus quidem ad cornu Evangelii, Subdiaconus verò ad cornu Epiſtolæ, ubi manent omnino profundè inclinati ad Sanctiſſimum Sacramentum [s] interea dum dicit Celebrans *Domine non ſum dignus*, Diaconus nomine omnium ſolus ſibi pectus percutit, accipitque poſtea patenam ut habetur infra n. 8.

VI. Poſt *Indulgentiam* redit Celebrans ad medium altaris, genuflectit, apprehendit pixidem manu ſiniſtra, & Hoſtiam, dextrâ Hoſtiam hanc elevatam tenens ſupra pixidem, unde manum non retrahit, per partem dexteram, vertit ſe ad cōmunicandos dicitque *Ecce Agnus Dei*, quo circa gerit ſeſe quemadmodum fusè dictum eſt in Miſſa privata parte 1. Art. 20. n. 18. & ſequentibus

(s) Merat *ſupr.* Bauldr *ſupr. num.* 12. Braulion *ſupr. num.* 7.

tibus. Paulo antequam Celebrans vertat se versus communicandos cum Sanctissimo Sacramento, Cæremoniarius vel alius Clericus acceptâ mappâ Communionis ex Credentia, confert se ad secundum gradum ex una parte, Thuriferarius verò ex altera parte, cui porrigit extremitatem mappæ Communionis ante illos duos quibus primum danda est Communio, non verò illud a longè projiciendo, tum facta genuflexione in eodem loco, recedunt ambo ad angulos suppedanei, in cujus marginè genua flectunt, facie ad se invicem conversa, mappamque tenent ita extensam ante illos qui Communionem recipiunt [t] Clerici aliquot ex choro veniunt ad tenendas faces, interea dum ceroferarii accedunt ad Communionem, idem alii præstant erga Thuriferarium & Clericum circa mappam occupatos, quando isti debent ad Communionem accedere.

VII. Ordo quem Clerus observat pro Communione hic est. 1. Ad sacram synaxim accedunt ambo Ministri sacri ante cæteros omnes, nisi quis intersit Episcopûs qui communicare velit, qua de re dicetur infra. 2. Post illos veniunt Sacerdotes, si qui sint qui Communionem desiderent, quo casu induunt stolam supra pelliceum pendulam, inceduntque bini & bini juxta dignitatem suam. Si qui inter illos induti sunt trabeis, stolâ trabeæ suppositâ sacram Communionem recipiunt ante reliquos Sacerdotes. 3. Capparii qui Presbyteri non sunt, accedunt etiam

(t) Merat *supr.* Bauldr. *supr. num.* 5. Braulion. *supr. num.* 9.

tiam bini & bini ante Diaconos & Subdiaconos solô superpelliceô indutos, licet illi tantummodo Clerici essent. 4. Subsequuntur Diaconi & Subdiaconi eôdem modô habita ratione, dignitatis suæ. 5. Inferiores altaris Ministri videlicet ambo Acolythi primum, deinde qui tenent Communionis mappam, ac demum Ceroferarii (si alii sint ab Acolythis) bini & bini juxta dignitatem suam, quando plures intersunt immediatè post istos accedunt ii qui in loca ipsorum suffecti fuerant, observantes inter se eundem ordinem quem & ipsi præfati Officiales [t] Quod si quis ex ipsis accessurus non esset ad Communionem socius ejus in eodem Officio non adjungeret se Officialibus sequentibus, ne ordo perturbaretur, sed cæteris è Clero. 6. Clerici ex choro accedunt post omnes Officiales bini & bini sicut præcedentes.

VIII. Quoadmodum recipiendæ Communionis observanda sunt quæ sequuntur. 1. Ambo Ministri sacri primi communicant ut dîctum est numero præcedenti, & in hac actione habent manus extensas sub mappa, caput erectum, oculos modestè demissos, & linguam supra labia inferiora aliquantulum admovent ad recipiendã Hostiam, quam nituntur quamprimum deglutire: postmodum facta insimul genuflexione in eodem loco supra marginem suppedanei; transeunt insalutato Celebrante, Diaconus quidem ad cornu Evangelii, Subdiaconus verò ad cornu Epistolæ, accipientes transeundo è manibus A-

(t) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 16. & 29. Gavant & Merat *supr.* Bauldr. *supr.*

colythi mappam Communionis, quam ipſi reddunt, ſtatim atque conſcenderunt ſuppedaneum, non genuflectunt illuc advenientes ſed aſſiſtunt Celebranti, ſtantes à lateribus ejus per totum Communionis tempus, quo durante Subdiaconus junctas tenet manus, Diaconus verò ſiniſtrâ manû pectori admotâ, dexterâ patenam tenet ſub mento eorum quibus datur Euchariſtia, (u) experientia conſtat quantæ ſit hæc cautela neceſſitatis, 2. Illi duo primi qui flexis genibûs infra gradus expectant Communionem, poſt ſacros Miniſtros erigunt ſe paulo antequam iſti finierint communicari, genuflectunt in plano penes infimum gradum altaris, quo tempore ſuprà dicti Miniſtri genuflectunt ſupra marginem ſuppedanei, poſtea aſcendunt ſimul gradum ſecundum, flectuntque genua in margine ſuppedanei ſicut præcedentes & eôdem modô Hoſtiam ſacroſanctam recipiunt. 3. Sumptô Sanctiſſimô Sacramentô iſti duo primi quamprimum erigunt ſe, nullaque facta in ſuppedaneo genuflexione faciem ad ſe invicem vertunt, atque deſcendunt in planum removentes ſe ab invicem, interea dum bini immediatè ſequentes recta conſcendunt ſecundum gradum ubi genua flectunt ſupra ſuppedaneum pro Communione recipienda, facta paulo ante genuflexione in plano ſicut primi, qui cum deſcenderint infra, in plano genuflectunt, cum binis ſequentibus inter illos mediis, poſtea bini illi qui ſacram Communionem tam receperunt revertuntur

(u) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 29. Merat. *ſupr.* Bauldr. *ſupr. num.* 10. Braulion *ſupr.*

vertuntur in chorum ad loca ſua eôdem modô quô venerunt, & alii duo qui cum iſtis genuflexerunt, ſtant infra gradus ut aſcendant quamprimum bini præcedentes, qui flexis ſunt genibus ſupra ſuppedaneum, deſcenderint ſumpta Communione; iſti poſtquam deſcenderunt, genuflectunt ut primi in plano cum binis aliis ſequentibus, qui ſe conſtituunt in medio eorum, cæteraque præſtant modô ſupra deſcriptô, & ſic ſe gerunt reliqui omnes. Verum ut iſtam omnem Cæremoniam paucis complectamur ſolummodo advertendum eſt, quod ubi primum bini ſacram Communionem receperint & erexerint ſe ad deſcendendum, bini priores qui ſunt infra, & à quibus jam fieri debuit genuflexio in plano, conſcendunt eundem gradum, atque alii duo qui ſequuntur erigentes ſe eodem tempore appropinquant altari, & in plano genuflectunt medii inter illos qui jam communicaverunt; & tali modo continuat Sacerdos abſque mora & interruptione Communionem Cleri.

IX. Si ſacram Euchariſtiam Celebrans adminiſtraturus ſit populo poſt Clerum, confert ſe eam ob rem ad cancellos ſanctuarii, [u] eumque non comitantur Acolythi cum facibus ſeu Ceroferarii niſi multum diſtent cancelli ab altari, ſed ſolum ſacri Miniſtri, & illi qui tenent mappam Communionis, niſi jam ſit appoſita ad cancellos.

X. Quicunque ex Clero non debent ad ſacram Communionem tunc accedere, ſtant in locis

(u) Bauldr. *ſupr. num.* 11. Gavant & Merat *ſupr.*

locis suis tempore *Confiteor* ut expresse habetur in Cæremoniali L. 2. c. 29. Cumque Celebrans vertit se ad communicandos dicens *Agnus Dei*, tunc genua flectunt sicut cæteri, atque omnes qui choro intersunt sive ad Communionem accesserint, sive non, hunc situm servant ad finem usque Communionis; (x) quemadmodum Romæ in praxi habetur, & apertè infertur ex eodem Cærem. lib. 2. cap. 30. sed quia Rubrica Missalis Tit. 10. n. 9. præscribit ut interim cantetur Antyphona Communio dicta, & ad hoc requiritur ut stet totus chorus coram Sanctissimo Sacramento, quod tunc expositum est; surgere debent omnes in choro istamque Antyphonam cantare (y) circa finem communis Cleri aut populi, tum nempe cum pauci supersunt ad sacram Communionem percipiendam, ita ut completa Antyphonâ Sanctissimum Sacramentum reclusum sit in Tabernaculo, ne postea teneatur Clerus iterum genua flectere. Hâc porro via conciliatur Rubrica Missalis cum utroque supra citato Cæremonialis textu, & obviam itur multis incommodis, quæ occurrerent, si prædicta Antyphona decantaretur circa Communionis initium; nam præterquam quod in multis Ecclesiis major pars Cleri tum altari pro Communione appropinquans non valeret Antyphonam illam cantare, nimia insuper foret interruptio à fine istius Antyphonæ usque ad Orationes Celebrantis, quibuscum specialem habet

(x) Braulion *supr. num. 10.* (y) Gavant *Part. I. Tit. XVII. de Ordin. genufl. &c.*

bet connexionem oporteretque & genua flectere, & surgere intra unam eandemque actionem.

XI. Si quis S. R. E. Cardinalis aut Episcopus ad sacram Communionem accessurus sit, accedit ante sacros Ministros, quinimo antequam dicatur *Confiteor*, Cæremoniarius & aliqui ex dignioribus Cleri cum ipsius Capellanis seu Eleemosynariis, postquam eum in sede sua salutaverint, comitantur usque ad altare, præcedente Cæremoniario cæterisque subsequentibus binis & binis Prælatum, qui adoratô Venerabili Sacramentô, flexis genibûs infra gradus altaris ascendit suppedaneum ubi recipit sacram Communionem. Interim duo ex Capellanis ejus aut ex dignioribus chori mappam Communionis tenent ante ipsum, cæteris infra gradus flectentibus genua. Celebrans non dicit *Ecce Agnus Dei* neque *Domine non sum dignus* sed solum *Corpus Domini Nostri* &c. [z] Prælatus perceptâ sacrâ Eucharistiâ sumit in eodem loco si velit purificationem in Calice ad hoc destinato, quem ei ad manus porrigit, dignissimus inter Assistentes, is idem ministrat postmodum illi purificatorium aut mantile mundum, ut os sibi abstergat. Tum erigens sese Prælatus, salutat altare & ad locum suum ut venerat ita revertitur, illi verò qui ipsum comitantur tam ante quam post observant debitas altari & Prælato reverentias.

XII. Sub tempus Communionis Cleri vel populi, non expedit ut in choro quidquam aliud cante-

(z) Bauldr. *supr. num. 8.* Merat *supr.*

cantetur præter Antyphonam *Communio* dictam; quod si accedentium ad Communionem valde magnus sit numerus, nihil vetat quominus interim organa pulsentur tonô gravî ac devotô si tempus permittit.

XIII. Finita Communione redit Celebrans ad medium altaris medius ipse inter ambos suos Ministros, qui dum ascendunt sublevant ipsius vestes à parte anteriori, postquam pervenit sacram pixidem deponit supra Corporale, tergitque leviter pollicem & indicem dextros ut in eam decidant si quæ illis adhæserant particulæ, relinquit autem Diaconus in eodem loco Patenam, postea terni genuflectunt & sacri Ministri locum permutant, transit quippe Subdiaconus ad cornu Evangelii, ubi flectit genua una cum Celebrante, Diaconus autem ad cornu Epistolæ, ubi facta rursus genuflexione, sacram pixidem cooperit & in Tabernaculo reponit, denuo genuflectit, & erectus [Celebrante & Subdiacono, etiam tunc surgentibus] clavî Tabernaculum tunc occludit, Calicem ponit in medio Corporalis, illôque detectô locum mutat cum Subdiacono, & ab utroque ad latera Celebrantis fiunt genuflexiones requisitæ. (a) Celebrans autem reversus ad medium altaris, præmissaque capitis inclinatione ad Crucem, peragit absque mora purificationem Calicis, & reliqua prout habentur Art. 9. n. 7. de Missa solemni. Qui mappam Communionis tenebant, complicant eam, quisque ex sua parte, statim post actam o-
mnium

(a) Merat *supr.* Bauldr. *supr.* Braulion *supr.*

mnium Comunionem, deinde genuflectunt insimul, juxta gradus in plano ante medium altaris & ad loca sua se recipiunt, & Thuriferarius mappam refert ad Credentiam, Ceroferarii statim ut occlusū est Tabernaculum, in sacristiam eunt servatis salutationibus notatis loco supra citato Art. 8. n. 8.

XIV. Si justa de causa Celebrans Clero vel populo sacram Communionem daret post Missam solemnem, in aliquo casu singulari, revertitur prius cum suis Ministris in sacristiam, ubi casulam ac manipulum deponit, retenta solum stola ante pectus decussata. Exuunt Ministri sacri apparamenta sua, & Capparii suas trabeas, sique ad sacram Communionem cupiant accedere, accedunt juxta ordinem suum, solô indutî superpelliceô. Observat tunc Celebrans easdem Cæremonias quas annotavimus ubi de Missa privata Part. I. Art. 10. n. 8. Clerus autem toto Communionis tempore permanet in choro flexis genibûs nisi occupetur in canenda aliqua ex Horis Canonicalibus, tūnc enim staret uti dictum est superius Art. 4. n. 15.

ARTICULUS IX.

De expositione Sanctissimi Sacramenti.

I. SI extra tempus solemnis alicujus Officiî exponi debeat Sanctissimum Sacramentum, tunc Clerô jam intra chorū vel prope altare congregatô, cereisque per Acolythos accensis egreditur è sacristia Celebrans cum suis Officialibus hoc ordine: antecedit omnes Thuriferarius
cum

cum navicula & thuribulo non fumigante, hunc ſequuntur Acolythi cum ſuis cereis accenſis, nec non poſt eos ſequuntur duo aut plures Clerici deferentes intortitia accenſa [b] juxta laudabilem praxim plurimu Eccleſiarum, poſtea Cæremoniarius, tum ſacriſtianus ſive Præfectus Eccleſiæ ſtolâ albâ cum ſuperpelliceo indutus, burſam Corporalium (ſi debeat illâ uti) præ manibus habens cum clavi Tabernaculi, tandem Celebrans pluviali albi coloris cum ſtola & ſuperpelliceo ornatus incedit ultimô locô, atque ſolus recto capite ac junctis manibûs. Si tranſeant ante Clerum ſalutant eum & advenientes ad gradus altaris ordinant ſe in lineam rectam; Thuriferarius ad cornu Evangelii Celebrantem inter & ſecundum Acolythum, Cæremoniarius verò ad cornu Epiſtolæ, inter ſacriſtianum & primum Acolythum; ſtans in medio Celebrans cum ſacriſtiano à dextris ſuis, biretum deponit & illi tradit, quod ſacriſtianus accipiens cum ſolitis oſculis dat illico ad manus Cæremoniarii, poſtea omnes inſimul genuflectunt in plano. [c]

II. Finita genuflexione, Celebrans ad ſecundum gradum aſcendit & genua flectit in margine ſuppedanei, ubi orat aliquamdiu, ſed Officiales minores flectunt infra infimum gradum. Interea ſacriſtianus fuſa ad DEum brevi Oratione in ſecundo gradu, aſcendit ad altare, ubi expandit Corporale, aperit Tabernaculum, genuflectit unô tantum genû, ita tamen ut Celebranti ter-

(b) Merat *Part. 4. Tit. 12. de Feſt. Corp. Chriſt. parag. 4. de ritu exponend. Sanctiſs. Sacram.* (c) Cærem. Epiſc. *lib. I. cap. XV.* Merat *ſupr.*

ti terga non vertat, extrahit oſtenſorium & ponit ſuper Corporale præparato in altari: (d) Si autem Hoſtia conſecrata fuerit in pixide eam de Tabernaculo extrahet, ponat ſuper Corporale, aperiet, genuflectet & Hoſtiam collocabit in oſtenſorio, utrumque claudet, abluet digitos, purificatorio abſterget, genuflectet, pixidem in Tabernaculo reponet, iterum genuflectet claudens oſtium Tabernaculi & oſtenſorium in medio collocabit ſuper Corporale, tum genuflectens deſcendet ad ſecundum gradum, ubi ſtans naviculam recipit à Thuriferario & abſque oſculo cochlear miniſtrat Celebranti, qui erigens ſe immittit de more thus in thuribulum, nihil interea dicens nec incenſum benedicens. (e)

III. Poſtea Celebrans flexîs genibûs ſupra ſuppedaneum & acceptô è manibus ſacriſtiani thuribulô ter incenſat Sanctiſſimum Sacramentum inclinando ſe profundè ante & poſt, inclinat ſe quoque profunde ſacriſtianus qui flectit ad illius dextram in ſecundo gradu, fimbriam pluvialis ejus ab anteriori parte ſublevans. Incenſatô Sanctiſſimô Sacramentô Cæremoniarius velum majus humeris Celebrantis imponit, qui erigit ſe ſolus & aſcêndit ad altare, ubi præmiſſa genuflexione, oſtenſorium accipit velatis manibûs, dextrâ quidem per nodum, ſiniſtrâ per pedem; & cum ipſe ſe ad populum vertit, pars anterior oſtenſorii ac ſacræ Hoſtiæ objiciatur populo.

IV. Celebrans acceptô oſtenſoriô vertit ſe per partem

(d) Merat *ſupr.* (e) Cærem. Epiſc. *lib. II. cap. XXXIII.* Merat *ſupr.* Bauldr. *part. 4. cap. 16. Art. 6. num. 5.*

partem Epistolæ ad populum, interim duo Cantores intonant *O salutaris Hostia* & *Uni Trinoque Domino*, aut ipsemet Celebrans inchoat sequendum consuetudinem Ecclesiarum, quas strophas usque ad finem chorus prosequitur; tum populum benedicit unicô signô Crucis efformatô ut sequitur; elevat ostensorium usque ad oculorum altitudinem, deinde paulo infra pectus demittens mox iterum recta illud attollit usque ad pectus, & deinde ad sinistrum humerum ducit, corpus non movens, & reducit ad dextrum & rursum ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit quasi peracta ad omnes mundi partes cruce, tum gyrum perficiet vertens se versus cornu Evangelii ut circulum faciat, [f] deinde reponit Sanctissimum super altare, genuflectit, ac tandem locum suum repetit ubi flectit genua ut ante; tumque Cæremoniarius velum recipit ex humeris ejus, ipse verò accepto à sacristiano thuribulo incensat Sanctissimum.

V. Sacristianus incensatô SS. à Celebrante recipit thuribulum, quod tradit Thuriferario, postea conscendit altare, ubi facta genuflexione Sanctissimum Sacramentum suppositô Corporali collocat in loco ubi debet depositum remanere. Qua de re, advertendum est quod locus ille celsior esse debeat, quam Reliquiæ si fuerint super altare, non tamen ita excelsus ut qui ponit vel recipit Sanctissimum Sacramentum, in periculo sit cadendi, aut teneatur genua, vel pedes

(f) Merat *supr.* Bauldr. *supr.* *Art.* 3. *num.* 34. Braulion *part.* 3. *cap.* 18, *num.* 7.

des super altare ponere, quod valde indecorum est, etiamsi tapete cooperiatur altare. [g]

VI. Repositô Sanctissimô in suo loco descendit Celebrans infra gradus, ubi medius inter suos Officiales cum illis adorat Sanctissimum Sacramentum, flexis ambobûs genibûs in plano, (h) postea quo ordine venerunt eodem revertuntur omnes, sed non prius tegit caput Celebrans quam sit extra prospectum Sanctissimi Sacramenti, quamquàm biretum suum receperit infra gradus altaris post factam genuflexionem.

VII. Si fieri debeat exposito immediatè ante Missam solemnem, Celebrans & ejus Ministri, consuetis apparamentis ornati solito more ad altare progrediuntur, exhibitaque altari debita salutatione, Ministri inferiores manent infra, ubi genua flectunt, Celebrans verò cum sacris Ministris ascendit ad secundum gradum, & in margine suppedanei genua flectit cum Subdiacono, interea dum à Diacono aperitur Taberbernaculum; cætera deinceps fiunt ut supra, ea observante Diacono quæ dicta sunt de sacristiano, & statim Celebrans inchoat Missam aut Processionem.

VIII. Idem ducta proportione servatur quando fit expositio ante Vesperas, atque insuper observantur sequentia. Celebrans cum suis Officialibus chorum salutat transeundo, & altare, ad gradus perveniendo; postea cum duobus dignioribus Cappariis ascendit secundum gradum, receptis prius à Cæremoniario ipsorum biretis, ubi

(g) Gavant & Merat *supr.* Bauldr. *supr.* (h) Merat *supr.* Branlion *supr.*

ubi genua flectunt in suppedaneo, & sacristianus aperit Tabernaculum, ac obseruat ea quæ dicta sunt supra n. 2. (i) nisi quod Celrbrans imponit thus in thuribulum ministerio dignioris Capparii: collocato per sacristianum in altari sanctissimo, Celebrans cum Capparis in planum descendit, ubi rursus omnes in plano genua flectunt, acceptisque suis biretis solito more conferunt se aperto capite in chorum non omissa salutatione, sed thuribulum suum refert Thuriferarius in sacristiam, inde quamprimum ad chorum reversurus.

IX. Quando reponendum est Sanctissimum Sacramentum, Celebrans cum iisdem Ministris ut dictum est n. 1. accedit ad altare eodem ordine servato ut in expositione, ubi omnes genua flectunt in plano, deinde Celebrans ascendit ad secùndum gradum, & post brevem Orationem factam stans imponit incensum in thuribulum absque benedictione, adjuvante sacristiano prout dictum est supra, & incensat ter Sanctissimum Sacramentum geuuflexus in suppedaneo înclinando se profundè ante & post [k] deinde reddit thuribulum sacristiano, qui illud è vestigio Thuriferario tradit; ad altare postmodum accedit sacristianus, ubi facta genuflexione ascendit si opus fuerit scabellum, & recipit Sanctissimum Sacramentum ex eo loco ubi erat expositum, quod collocat in medio altaris supra Corporale, factaque denuo genuflexione, dextram Celebrantis repetit, ibique flectit genua ut dictum est n. 3. X. In-

(i) Bauldr. *supr. Art. 6. num. 5.* (k) Cærem. Episc. *lib. II. cap. XXXIII.* Bauldr. *supr.*

X. Interim Cæremoniarius velum humeris Celebrantis imponit, qui præmissa genuflexione & accepto Ostensorio vertit se ad populum, tum cantores inchoant *Tantum ergo Sacramentum*: aut ipsemet Celebrans secundum consuetudinem Ecclesiarum, choro prosequente reliqua; tum benedicit populum unicô signô Crucis efformatô eô modô ut dictum est n. 4. deinde reponit Sanctissimum super altare, genuflectit, ac locum suum repetit amoto velo per Cæremoniarium genuflexus in suppedaneo, acceptoque thuribulo à sacristiano incensat Sanctissimum. (l)

XI. Post incensatum Sanctissimum sacristianus erigens se ascendit ad altare factaque genuflexione Sanctissimum Sacramentum reponit in Tabernaculo, postea genuflectit iterum, portam Tabernaculi claudit, Corporale complicat, quot in bursam immittit; deinde cum Celebrante descendit in planum, ubi cum Officialibus inferioribus ex utraque parte in lineam rectam ordinatis genuflectit in plano, tum ministrat biretum Celebranti, qui vertit se una cum omnibus, & eodem ordine quo venerat revertitur.

XII, Advertendum 1mò. Quod si Sanctissimum Sacramentum immediatè post Missam in Tabernaculo recludendum sit, Diaconus indutus suis ornamentis ordinariis ea peragit quæ supra de sacristiano relata sunt: vel si hoc contingat immediatè post vesperas, sacristianus ipse Præfectus Ecclesiæ indutus stolâ eadem observat: &

(l) Cærem. Episc. *supr.* Merat *Part. IV. Tit. XII. de Fest. Corp. Christ.* Eraulion *Part. 3. cap. 18. num. 7.*

 quod

quod in Ecclesiis ubi perpauci sunt Ecclesiastici tam in expositione quam in repositione Sanctissimi, Celebrans pluvialî aut saltim stolâ supra superpelliceum indutus progrediatur ad altare præcedentibus Thuriferario, duobus Cæroferariis & uno Sacerdote superpelliceò & stolâ induto, aut Diacono albam habente cum stola sub brachio dextro transversa, atque cum istis ea quæ supra dicta sunt observat. Quod si nec Presbyter nec Diaconus adsit, qui Celebranti assistat, Celebrans ipse omnia facit quæ facerent illi si adessent, deberetque in eo casu osculari altare cum ad illud pervenit, & saltim habere secum si fieri posset Thuriferarium cum duobus Ceroferariis, ac nunquam esse absque stola etiamsi tunc pluviali sint ornatus.

XIII. Advertendum 2dò. Quod si ostensorium nequeat integrum in Tabernaculo recludi, sufficit superiorem ejus partem, semoto pede si facilè sejungi possit in Tabernaculum supra corporale intromittere, sacrâ Hostiâ non extractâ, ita ut ad Sanctissimum denuò exponendum, sint solum sejungendæ ambæ ostensorii partes. Sed si pars inferior nequeat à superiore sejungi, involvenda esset sacra Hostia cum sua lunula in Corporali, & eam ita involutam in Tabernaculo occludere ut immediatè non tangatur ab eo qui illum vellet pro alia expositione in ostensorio reponere. Vel demum si non possit hoc facilè præstari, poneretur Hostia ipsa nuda in sacram pixidem, unde reciperetur ad expositionem, non prætermissa tunc lotione digitorum quibus attrectata fuerit. Cæterum in his omnibus

que casibus debet sacristianus seu alius ad expositionem faciendam destinatus, Corporale in altarii extendere, ut super illud reponatur ostensorium antequam à Celebrante Sanctissimum Sacramentum thurificetur.

XIV. Advertendum 3tiò. Quod Sanctissimum Sacramentum præter Festum Corporis Christi & ejus Octavam quo tempore occupatur pæsertim Ecclesia circa illius adorationem, exponi etiam posset ex licentia ordinarii pro publicis necessitatibus & aliis de causis ad bonum Ecclesiæ pertinentibus. Jam verò quocunque tempore exponatur Sanctissimum Sacramentum præter interiorem: (quæ tunc maximè requiritur) devotionem, sedulò invigilandum est, ut cum omni decentia convenienti ornatum sit altare, prout dictum est Part. 2. Art. 12. Attendere quoque debet Cæremoniarius ut cuncta ad hunc actum necessaria tempestivè & in loco debito præparentur. Si ex necessitate aliqua contingeret ut Missa vel Officium aut Exequiæ pro Defuncto ante illud altare celebrarentur, in quo expositum esset Sanctissimum Sacramentum, reponendum foret antea in Tabernaculo ad finem usque funebris istius Officii.

XV. Advertendum 4tò. Quod in quibusdam Ecclesiis occasione solemnitatis Festorum Sanctorum Patronorum aut Titularium Ecclesiarum, usus invaluit hôc modô exponi Sanctissimum Sacramentum: ante primas Vesperas Celebrans cum suis Ministris procedit ad altare, ibique se gerit ut dictum est n. 1mò & 2dò, & intonatô per ipsum aut cantores, secundum consuetudinem

nem locorum: *O salutaris Hostia*: si ante aliud altare celebrandæ sint Vesperæ procedit ad illud, ibique cantat vel cantores *Uni Trinoque Domino*, sin ad idem altare celebrandæ sint Vesperæ in eodem loco cantat *Uni Trinoque*: tum fit Processio si habenda sit intra vel extra Ecclesiam secundum oportunitatem; nisi pauci homines convenissent, protunc enim fit Processio post Vesperas; quâ finitâ reponitur Sanctissimum Sacramentum ut dictum est superius in altari, coram quo habendæ sint Vesperæ, deinde Celebrans incipit Vesperas, quibûs finitis, reponitur Sanctissimum uti dictum est n. 9. 10. & 11. Quod si ad aliud altare referendum sit ubi solet asservari Sanctissimum, tunc cantatô *Tantum ergo* procedit cum Ministris & Clero ad illud altare, ibique cantat *Genitori genitoque*; & data benedictione asservatur Sanctissimum ut superius. Idem modus servatur in expositione & repositione ante Missam solemnem. Quod si fiat conclusio solemnitatis in secundis Vesperis, Processio absolvatur post Vesperas, in cujus fine decantatur *Te DEum laudamus*; & cum perventum fuerit ad versum *Salvum fac populum*: Celebrans stans ante altare conversus ad populum ter illud inchoat Clero perficiente; tertia tamen vice reliqua addit verba *Et benedic hæreditati Tuæ*, & tunc ostensoriô in forma Crucis ductô, more solito populum benedicit; cumque chorus reliqua absolvit, deponitur Sanctissimum Sacramentum in Tabernaculo altaris eô modô ut superius dictum est. (m)

(m) Ritual ad usum Ecclesiar. Polon.

ARTI-

ARTICULUS X.

De Oratione quadraginta Horarum.

I. CUm preces istæ in Ecclesia aliqua, ex approbatione Ordinarii habendæ sunt, necesse est juxta instructionem datam à Clemente Papa VIII. & renovatam ab Alexandro VII. ut Parochus aut alius ejusdem Ecclesiæ Superior, Dominico die aut alio Festo illarum Celebrationem præcedente, indicet eas, quo populus frequens exactè ac devotè conveniat, ad eos inde fructus percipiendos quos intendit Ecclesia. Pridie hujusce celebritatis, horâ vespertinâ sicut & in crastinum horis matutinis quando & quamdiu durat, pulsandæ sunt campanæ, sicut fieri solet pro Festo solemni; decet etiam ut templum totum, sed præsertim majus altare ornatum sit, ac si Festum esset ex solemnioribus, atque multi sint cerei, quorum sex ad minimum ardeant. [n]

II. Inchoatur hæc Celebritas à Missa solemni Votiva quam celebrare oportet apparamentis albis etiamsi ea die occurrerit Festum duplex vel Dominica per annum. Missa verò cantari debet Votiva de Sanctissimo Sacramento quæ habetur circa finem Missalis, non autem Festiva Corporis Christi, nisi infra Octavam ejusdem Festi casus accideret. [o] In hac Missa [quoniam solet esse pro re gravi] dicitur *Gloria* & *Credo*

(n) Bauldr. *part. 4. cap. 16. art.* 11. *num. 3.* (o) Gavant *Part. II. Tit. XIV. de his quæ adden.* Braulion *part. 3. cap. 3. num. 3.* Bauldr. *supr. num. 6.*

X5 cum

cum unica Oratione, juxta generalem Missalis Rubricam Tit. 9. n. 24. At verò in illis Ecclesiis & aliis locis, ubi debet ex obligatione celebrari Missa Conventualis, tunc duæ sunt canendæ Missæ, altera quidem de die post tertiam, alia verò post Nonam de Sanctissimo Sacramento ante processionem cum albis ornamentis: (p) & in hac ultima addi potest de Mandato Episcopi Oratio pro urgenti aliqua necessitate, præsertim si preces 40. Horarum in hunc finem injunctæ sunt.

III. Si celebrentur hæ preces Diebûs Dominicis vel Festis primæ vel secundæ Classis, habenda est juxta praxim præcipuarum Urbis Romæ Ecclesiarũ, Missa solemnis de die,cũ commemoratione de Sanctissimo Sacramento, [q] tumque adhibetur color Officio conformis, tametsi ornatus altaris sicut & baldachynum sub quo est Sanctissimum, nunquam alterius debeant esse coloris quam albi, idem dicendum de baldachyno sub quo defertur. Missæ verò privatæ legi possunt votivæ de Sanctissimo Sacramento diebûs concessîs per Rubricam Generalem Tit. 4. n. 3. sed cum multis orationibus ut in aliis Missis Votivis ordinariis, & absque *Gloria* & *Credo* si autem de die dicantur, fieri debet commemoratio de Sanctissimo Sacramento. [r]

IV. In Missa solemni quæ fit pro inchoandis precibus 40. Horarum, consecrat Celebrans du-

as

(p) Gavant *supr.* (q) Braulion *part. 3. cap. 3. num. 4. Decret. S. R. C. 13. Feb. 1666. apud* Merat (r) *Decret. S. R. C. 2. Decembr. 1684. apud* Merat.

as majores Hostias, quarum alteram sumit, alteràm verò collocat in ostensorio, quod postea Diaconus ponit ad medium Corporalis, tegitque aliquô velô, & deinceps ad finem usque Missæ Ministri cum Celebrante gerunt sese eô modô prout dicetur *Tom. 2. Part. 2. Art. 13.* de Miss. & Processione in Festo Sacratissimi Corporis Christi.

V. Si post ultimum Missæ Evangelium fieri debeat Processio Celebrans cum ambobus suis Ministris genuflexione facta in medio altaris super suppedaneum, descendit ad cornu Epistolæ ubi casulam & manipulum deponit & adjuvantibus sacris Ministris induit pluviale album, vel alterius coloris si celebravit cum paramentis alterius coloris, ut continuetur color Missæ juxta dispositionem instructionis jussu Clementis editæ, [s] velum tamen majus debet esse album sicut & baldachynum: postea procedit cum Ministris sacris qui & ipsi deposuerunt suos manipulos per planum Presbyterii ad medium altaris, ubi genuflexionem faciunt utroque genu supra pavimentum, quâ factâ ascendunt ad secundum gradum ibique flectunt genua in margine suppedanei, (t) interea accenduntur cerei qui Clero distributi sunt. Thuriferarii duo quos insequitur Subdiaconus alba & tunica indutus Crucem deferens, atque post ipsum Capparii trabeis ornati baldachynum ferentes, è Sacristia

veniunt

(s) *Instruzione & Ordini da osservarsi nell' orazione di Quarant. num.* 11. Merat. *Part. II. Tit. XIV.* de his *quæ adden. cor. SSmo.* (t) Bauldr. *supr. art. 12. n. 3.*

veniunt in chorum; Subdiacono ad medium chori jam progresso adjungunt se ambo Acolythi qui stabant penes credentiam, candelabra sua sustentantes, & à lateribus ejus deinceps stantes nulla præmissa salutatione, sed uterque Thuriferarius perveniendo in medium à fronte illorum adorat Sanctissimum flexìs genibûs, postea alius hinc, alius inde penes gradus altaris collocat sese; ibique manent ambo in genua provoluti, donec tempus advenerit ascendendi ad latera Celebrantis ut imponat incensum: cæteri verò sistunt se ad ingressum cum baldachyno & ibi pariter flectunt.

VI. Diaconus præmissa brevi oratione genua flectendo in margine suppedanei à latere Celebrantis, ascendit solus ad altare ubi discooperit, erigitque ostensorium cum debitis genuflexionibus ante & post, quibûs peractìs descendit ad dextram Celebrantis, qui sese tunc temporis erigit. Stans Diaconus ministrat illi fine osculis cochlear cum navicula ad imponendum incensum in utroque thuribulo, illud Celebrans imponit absque benedictione, deinde flectens genua Sanctissimum Sacramentum incensat cum inclinatione profunda ante & post, ambobus Ministris pluviale ejus ab anteriori parte sustentantibus & inclinantibus se una cum illo. (u) Interim intonant cantores *O salutaris Hostia* quam stropham prosequitur chorus. Thurificatô Sanctissimô Sacramentô Subdiaconus & Cæremoniarius velum majus humeris Celebrantis circumponunt,

(u) Bauldr. *supr.*

cumponunt, tum Diaconus facta altari genuflexione, accipit ostensorium & illud stans tradit ad manus Celebrantis genuflexi, [x] quas veli extremis tegit, factaque iterum genuflexione in locum suum descendit supra secundum gradum. Tum surgens Celebrans Sanctissimum in medio altaris ad populum conversus elevatum tenet, interim cantores intonant, aut ipsemet Celebrans secundum consuetudinem locorum *Pange lingua* &c. & chorus prosequitur; [y] deinde absolvitur Processio, in qua eædem servantur Cæremoniæ quæ habentur in Festo Corporis Christi, conformiter ad sequentes annotationes.

VII. Hæc processio 1mò fit solum in templo aut in ejus circuitu prout est loci consuetudo, absque ulla statione in via. 2dò in reditu Processionis Diaconus flexìs genibûs accipit è manibus Sacerdotis Sanctissimum Sacramentum, (z) surgit & illud reponit in altari, postea facta genuflexione cochlear naviculamque porrigit Celebranti à quo Sanctissimum incensatur, interea intonatur à Cappariis *Tantum ergo* & additur in fine versiculus *Panem de cælo &c.* quô decantatô, erigit se Celebrans, standoque ac manibus junctis, Ministris sacris genuflexis, canit orationem. *DEus qui nobis &c.* [a] post orationem datur

(x) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 33. Instruzione & Ordini nell'orazione di Quadrant.* (y) Ritual. Roman. *de Procefs. Corp. Christi.* (z) Cærem. Episc. *supr. Instruzione & Ordini supr.* Merat. *Part. IV. Tit. XII. de Fest. Corp. Christi.* (a) Ritual. Roman. *supr.* Merat. *supr. Instruzione & Ordin: supr.* Cærem. Episc. *supr.*

datur à Celebrante benedictio uti dictum est superius art. 10. n. 7. reponitque postea Diaconus Sanctissimum Sacramentum in loco ubi debet exponi.

VIII. Hîs peractîs revertuntur Celebrans, Officiales & Clerus in sacristiam, eo ordine quem servabant in Processione, sed antea omnes, exceptîs Subdiacono Crucem ferente, & ambobus Acolythis, Sanctissimum adorant genibûs flexîs in plano ante medium altaris. Antequam discedant, Celebrans & sacri Ministri, bireta sua recipiunt quidem, sed ea capiti non imponunt, Clerusque cereos suos non extinguit quin prius sint extra Sanctissimi Sacramenti conspectum:

IX. Quamdiu expositum manet Sanctissimum Sacramentum, tam diu duos esse oportet viros Ecclesiasticos superpelliceis indutos, qui continuo orent ante altare, vel unum saltem in iis Ecclesiis, ubi non est numerus sufficiens Clericorum; atque tunc temporis præsertim, nullus debet laicus intrare sanctuarium, sive ob aliam quamcunque causam; quin & Clerici ipsi illuc accedere non debebunt, nisi superpelliceo induti. Valde quoque congruum est juxta instructionem Clementis VIII. ut superiores præcipuè Parochi, & alîi supra populum loci Jurisdictionem habentes, schedulis invitent quamlibet familiam ad assistendum successivè Sanctissimo Sacramento, singulisque competentem horam assignent: atque ut excitetur ac foveatur fidelium devotio, habendæ sunt per illud tempus frequentes sed breves & affectuosæ ad populum exhortationes.

X. Si etiam de nocte Sanctissimum maneat expositum, feratque locorum consuetudo, ut populus orandi gratia veniat ad Ecclesiam, curandum est ut cereis ardentibus undequaque templum illuminetur, ad majorem nihilominus cautelam, satius est ut clausa sit janua, & iis tantum aperiatur, quibus ingressum permittere decet

XI. Sub finem horumce precum, celebratur Missa solemnis Votiva de Sanctissimo Sacramento sicut in principio, vel Missa diei cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti, juxta dicta superius n 2. post Missam à Celebrante & sacris Ministris ea observantur quæ num 5. retulimus, ordinaturque Processio, ut in initio istârum precum, si sic exigat loci consuetudo.

XII. Adverte prima die post elapsum expositionis tempus sacram Hostiam quæ fuit in ostensorio sumendam esse ab aliquo Sacerdote intra sacrum immediatè post sumptionem pretiosi sanguinis; siquidem non expedit, ut illa laicis administretur, postea dejectis in calicem, si quæ ostensorio vel lunulæ adhæserant fragmentis, lunulam ipsam si opus sit vino purificat supra Calicem eamque abstergit purificatorio.

ARTICULUS XI.

De Processionibus.

I. PRocessiones publicæ in Ecclesia fieri solitæ juxta antiquissimam traditionem, sive ad excitandam fidelium pietatem, ex meditatione Mysteriorum quas exhibent, sive ad agendas omnipotenti DEO gratias de receptis beneficiis vel ad impetrandam ejus opem in necessitatibus singulari devotione celebrandæ sunt, maximè ab Ec-

ab Ecclesiasticis, qui verbo & exemplo populum tenentur docere, quam decenter & modestè oporteat in illis se gerere. (b)

II. Duplicis sunt generis Processiones; aliæ quidem communes & ordinariæ, quæ per totam Ecclesiam fiunt certis quibusdam anni diebus ut in die Festo Purificationis, in Dominica Palmarum, in Litaniis majoribus die *Sancti* Marci, in Litaniis minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem; & in Festo Corporis Christi; quibus adjungi possunt. Processiones in Dominicis ante Missam solemnem, & aliis diebûs Festis juxta morem Ecclesiarum. Aliæ verò sunt extraordinariæ; injunguntur que ab Episcopis in quibusdam gravissimi momenti casibus pro publico bono Ecclesiæ. (c) Jam verò ex hoc duplici Processionum genere quædam sunt solemniores, ut sunt Processiones Sanctissimi Sacramenti, Translationis Reliquiarum, ut & illæ quæ celebrantur pro gratiarum actione, ob insigne aliquod beneficium, aut in quibusdam Festis è principalioribus; cæteræ sunt minus solemnes, ut quædam Processiones magis frequentes & ordinariæ, juxta Ecclesiarum consuetudinem; istæ autem fiunt minori cum apparatu Officialium & ornamentorum, quemadmodum dicetur infra.

III. Crux in omni Processione præferri debet [d] inter Acolythos sive a Subdiacono qui tunica absque manipulo indutus sit, ut fit in solemnioribus, & aliquot aliis infra specificandis Processionibus, sive etiam à simplici Clerico superpelliceo induto, quod observatur quando Processiones non sunt ita solemnes. Effiges Crucifixi aversa debet esse à sequenti Clero, quasi Christus Dominus præiret [f] excipiuntur tamen 1mo. Crux Papalis & Archiepiscopalis cujus imago ipsis obversa est. 2do. Quando processio sistit se in aliquo loco, debet interim Imago Crucifixi conversa esse ad Clerum. Præter Crucem præfertur etiam, juxta locorum consuetudinem, vexillum in quo imago Sancti Patroni seu Titularis Ecclesiæ depicta est. [g]

(b) Ritual. Roman. *de Procession.* (c) Ritual. Roman. *supr.* (d) Ritual. Roman. *supr.* Gavant *Part. I. Tit. XIX. de qualitat. parament.* Braulion *part. 3. cap. 3. num.* 3.

IV. Post Crucem Clerici omnes Superpelliceis induti, incedunt bini & bini, Juniores præcedunt sequuntur Seniores, quilibet suo ordine & loco graviter ac modeste procedit, abstinens se ab omni collocutione ab oculorum divagatione, [h] distantia trium circiter passuum inter se servatâ: si numerus procedentium sit impar, qui dignior est incedit medius inter duos postremos vel solus post omnes, maxime si loci Superior fuerit, aut aliqua dignitate cæteros antecellat.

V. In Processionibus Festi Purificationis, Dominicæ Palmarum & aliis Solemnioribus, de quibus mentio facta est Num. 2. crucem antecedit Thuriferarius cùm Navicula & thuribulo fumigante [i] In Processionibus vero Sanctissi-

(f) Cærem. Papal. Marcelli *lib. 3. cap. 20.* Cærem. Episc. *lib. 1. cap. 15.* Gavant. *supr.* Braulion *supr.* (g) Ritual. Roman. *supr.* (h) Ritual. Roman. *supr.* (i) Braulion. *supr.* Bauldr. *part. 2. c. 16. num.* 7.

mi Sacramenti illud immediate præcedere debent duo Thuriferarii quaſi viam ei bono thuris odore paraturi. Sed iis Proceſſionibus quæ celebrantur, pro neceſſitatibus Eccleſiæ vel populi, ſicut & aliis communibus & ordinariis circa quas nihil hac de re præſcriptum eſt in Rituali, non debet Thuriferarius adeſſe.

VI. Cæremoniarius incedere ſolet à tergo Cruciferi inter ambos ordines, ſed cum attendere debeat ut ab omnibus ſervetur requiſitus ordo, expedit ut interdum ſiſtat ſe, ad revidendos procedentes redeatque poſtea modeſto greſſu ad locum ſuum poſt Crucifixum. Collocant ſe Cantores ordinarie circa medium Proceſſionis ut poſſint ab omnibus facilius audiri. [k]

VII. In iis quæ fiunt immediate ante vel poſt miſſam in ſolemnioribus Proceſſionibus, incedit Diaconus à dextris Celebrantis, Subdiaconus vero à ſiniſtris uterque apparamentis propriis indutus absque manipulo, ſublevat quisque ex ſua parte Celebrantis Pluviale antrorſum, & ab alio Subdiacono, qui eodem modo ornatus eſt quo Subdiaconus Miſſæ, præfertur Crux uti dictum eſt ſuperius. In Proceſſionibus minus Solemnibu quæ quibuſdam anni diebus fieri ſolent ante Miſſam, ſicut eſt in Proceſſione Purificationis & Palmarum *&c.* Subdiaconus Miſſæ ſuis Sacris veſtibus ornatus, defert Crucem, tumque Diaconus ſtat à latere ſiniſtro Celebrantis. [l] Quantum

(k) Braulion. *part.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. Bauldr. *ſupr. num.* 17. (l) Ritual. Roman. *de Proceſs.* Braulion. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 13. Bauldr. *part.* 2. *cap.* 14. *num.* 8.

tum ad Proceſſiones quæ celebrantur extra tempus Miſſæ, in iis neceſſe non eſt ut Diaconus & Subdiaconus Celebrantem comitentur, atque ſi ſolemnes non ſint, aut ſi procul eundum ſit, ſufficit ut Crucifer induatur Superpelliceô ſicut cæteri ex Clero: ſed ſi Solemnes ſint, Cantores & Celebrans induuntur trabeis & illi trabeam Celebantis ſublevant a lateribus, in eoque caſu conveniens eſt ut Subdiaconus ad Crucem Albâ & Tunicâ indutus ſit. Excipiuntur ab hac regula Proceſſiones Sanctiſſimi Sacramenti, & eæ in quibus ſolemni cum apparatu inſignes Reliquiæ deferuntur; namque in his & in illis præter Cruciferum qui Albam & Tunicam induit, Sacros Miniſtros oportet ſuis omnibus, excepto manipulo, apparamentis ornari & ad latera Celebrantis aſſiſtere. [m]

VIII. Color apparamentorū quibus Officiales induuntur, accomodatus debet eſſe myſterio vel feſto aut aliis cauſis & circumſtantiis propter quæ celebratur Proceſſio; idque juxta Rubricas generales Miſſalis tit. 18. n. 5. quapropter albi coloris apparamenta adhibentur ad Proceſſiones pro gratiarum actione, nec non ad Proceſſiones Sanctiſſimi Sacramenti, præterquam in Paraſceve quâ die Celebrans & ejus Miniſtri Sacri nigrum Colorem induunt, tametſi baldachinum, & quod humeris Celebrantis imponitur velum, albū eſſe oporteat. (n) Si proceſſio fiat ob Inſignium qua-

(m) Bauldr. *ſupr. num.* 28. Braulion. *ſupr. cap.* 20. *n.* 3. (n) Braulion. *ſupr. c.* 12. *num.* 4. Bauldr. *ſupr. n.* 25. Gavant. *Part. IV. Tit. IX. de Feria VI in Pnraſceve.*

rumdam Reliquiarum translationem, apparamenta illius sint oportet coloris quem requirirst Offic;um Sancti. Si vero ad impetrandam opem Spiritus Sancti, de quo postea Missa celebranda est, vel si in honorem alicujus Sancti Apostoli aut Martyris celebretur Processio, color esse debet ruber. Ac demum si pro necessitatibus publicis habeatur Processio, ut tempore Jubilei, famis, pestis, *&c.* sicut etiam die festo Purificationis *&c.* adhibenda sunt Violacei coloris apparamenta. Sed si Processio injuncta esset ab Episcopo qualibet Dominica post tertiam, induerent se Celebrans & ejus Ministri, ut sit Romæ ornamentis coloris illius quem postularet Missa sequens.

IX. Incedere debet Processio à dextra ad lævam exiens per partem Evangelii, rediensque per partem Epistolæ [o] quod infertur ex plerisque Processionibus in Pontificali pro consecratione Ecclesiæ præscriptis. Excipitur tamen casus, in quo vel situs vel usus locorum contrarius omnino foret.

X. Quando transeundum est per locum aliquem nimis angustum, debet ille qui minus dignus est transire prior, & expectare, ut postea simul procedant: quod in simili occasione pariter observant Acolythi erga Cruxiferum; & erga Celebrantem Sacri Ministri: debent quoque singuli curare ut quantum fieri potest, tempore Processionis & in reditu ad Chorum, per eandem

(o) Bauldr. *supr. num.* 12. Merat. *Part. IV. Tit. VII. de Dom. Palm.*

par-

partem semper incedant quam prius occupârunt. Sique ob id necesse fuerit ut inter eos mutatio interdum fiat ab una parte ad aliam; facienda illa est dum intratur vel exitur per aliquam portam à Cæremoniario vel Superiore assignatam, ita tamen ut digniores dextram minus digni sinistram occupent.

XI. Si transeundum sit ante Sanctissimum Sacramentum sive illud sit in Tabernaculo reclusum, sive in Ostensorio expositum, vel in Altari post consecrationem, sive in manibus Sacerdotis elevationem peragentis, vel illud populo administrantis aut ad infirmos deferentis, genuflectunt omnes simplici genuflexione bini & bini, statim atque ex opposito sunt nec morantur ne perturbetur ordo, & actioni sanctæ cui vacant debita attentio: quâpropter tunc non est pulsanda campanula ad elevationem Hostiæ in Missa privata.

XII. Si Clerus præ manibus habeat Cereos vel palmas, qui incedunt à latera dextro, dextrâ illos tenent, qui vero à latere sinistro sinistra [p] hi & illi admotam tenent pectori alteram manum si non impedita sit in ferendo Rituali vel Processionali, aut bireto quando sunt detecto capite. Quodsi ab una parte ad oppositam transeant cereos aut palmas ab altera manu ad aliam transmittant oportet, ita ut illos semper ad extra teneant.

XIII. In Processionibus generalibus, & aliis ad

(p) Castald. *lib.* 2. *sect.* 10. *c.* 1. *num.* 13. Bauldr *supr. num.* 13. Merat. *supr.*

quas

quas Ecclesiasticorum tam Sæcularium quam Regularium Ordines plures conveniunt, minus digni juxta sequentem ordinem in Cærem. lib. 2. cap. 33, præscriptum, præcedere debent digniores, nisi contrarium ferat locorum consuetudo. Ac 1mo. quidem omnibus præeunt Confraternitates Laicorum, si multæ sint, inter illas observatur ordo antiquitatis, recentioribus antiquiores præcedentibus. 2do. Subsequuntur varii Religiosorum Ordines, inter se servantes ordinem quem ratione antiquitatis vel à Jure, aut consuetudine obtinuerunt. 3tio. Post Religiosos incedit Clerus Ecclesiarum Parochialium deinde Collegiatorum, ac tandem Cathedralis; Clerum sequitur populus, & inter populum, qui alios dignitate præcellunt, ii propinquiores sunt Clero. Quod si quis intersit Prælatus Celebrantem immediate sequitur. [q] At vero ut serventur & ordo & uniformitas in Processionibus maxime requisita, optimum erit si prius Præfecti Cæremoniarum Ecclesiæ Cathedralis, & alii usu periti consulantur, ordinenturque res omnes juxta eorum praxim.

XIV. Ordo specialis servandus in principio, tractu, & fine Processionis, præter ea quæ jam relata sunt, præcipue consistit in sequentibus. Quoad initium 1mo. Crucifer & ambo Acolythi collocant se è regione majoris Altaris prope lampadem, caveat ille ne Cruce perstringat eam; expectantque ibi isti in simul tres, donec abeundi

(q) Braulion. *part. 3. cap. 5. num.* 15. Bauldr. *part.* 2. *cap.* 16, *num.* 6. Castald. *libr.* 2. *sect.* 10. *c.* 1. *num.* 20

tempus advenerit. 2do. In solemnioribus Processionibus, Celebrans Pluviali indutus, confert se in planum juxta gradus Altaris inter Sacros Ministros, vel Capparios, quibus eodem tempore adjungit se Thuriferarius, & factâ ab omnibus salutatione, thus de more immittit Celebrans in thuribulum: postea Thuriferarius accepta navicula genuflectit infra gradus Altaris, & collocat se ante Crucem, Celebrans & ejus Ministri seu Assistentes salutant Altare in plano juxta infimum gradum, postea recipiunt bireta sua, & se ad Chorum vertunt, cum incipit Clerus discedere, paulatim procedentes ex parte Evangelii. 3tio. Statim atque decantatum est in Choro quod canendum fuit, initio Processionis, proficiscuntur Crucifer & Acolythi insalutato Altari, illos præcedit Thuriferarius facta primo genuflexione. 4to. Quando canuntur Litaniæ, Cantores duo intonant eas in medio Chori flexis genibus, respondente Choro, interea cuncti ex Clero, exceptis Crucifero & Acolythis permanent in genua provoluti suis in locis usque ad hunc versiculum *Sancta Maria ora pro nobis* inclusive, (r) erigunt se ad sequentem versiculum; tum incedere incipiunt Crucifer & Acolythi; quos ex Clero bini & bini sequuntur salutato prius Altari; caput suum tegit Celebrans ab initio Processionis exceptis casibus in Articulo sequenti exaratis, sed cæteri omnes detecto capite manent quamdiu sunt in Ecclesia; excipiuntur Sacri Mi-

(r) Ritual. Roman. *de Processs.*

 nistri

nistri (s) & Capparii, ie e Celebranti conformants nisi alii contingant casus in proprio suo loco specificati.

XV. Sub tempus Processionis 1mo. Egressi ex Ecclesia caput tegunt omnes, exceptis Thuriferario, Crucifero, & Acolythis, qui continuo debent esse capite detecto, nisi eos ad se tegendum adigat pluvia, vel æstus aut nimia itineris longitudo; sed in Processionibus Sanctissimi Sacramenti omnes sunt aperto capite intra & extra Ecclesiam,, (t) sicut & in illis quas celebrare contingit ad Insignium Reliquiarum translationem. 2do. Priores paulatim ac morose debent incedere, sub initium præcipue Processionis à limine Ecclesiæ ut posterioribus per ostium liceat illos sequi pari distantia & absque præcipitatione. 3tio. Si ad aliquam perveniatur Ecclesiam genuflectunt omnes, bini & bini ante tabernaculum in quo inclusum est Sanctissimum Sacramentum, exceptis Crucifero & Acolythis qui progrediuntur ad gradus usque Altaris eo insalutato. Bini qui illos immediate sequuntur sistunt se in loco distanti; ut par est ab Altari, cæteri vero sequentes procedunt ex utraque parte,& collocãt sese in loco illis immediate superiori, sicque de aliis, ita ut digniores Altari magis appropinquent, atque Celebranti dum transit, inclinant sese omnes. 4to. Cum pervenit Celebrans ad Altare, cantus Processionis interrumpitur sed à Cantoribus in-

(s) Merat. *Part. IV. Tit. VII. de Hebdom. major.* (t) Braulion. *part. 3. cap. 20. num. 20.* Ritual. Roman. *de Precess.* Castald. *supr. anm. 16.* Bauldr. *supr. num. 19*

tona-

tonatur Antyphona de Sancto Titulari Ecclesiæ, quam Antyphonam Clerus prosequitur stans facie ad se invicem conversa, usque ad finem, intonant postea iidem Cantores Versiculum, à Celebrante vero canitur *Dominus vobiscum* & Oratio, (u) cui adjungi possunt aliquot alii versiculi & orationes sub una eadem & brevi clausula, juxta rationem ob quam fit hæc Processio. Si expositum foret Sanctissimum Sacramentum decantaret flexis genibus Antyphonam & versiculum de Sanctissimo Sacramento, & insuper versiculum de Sancto Titulari, diceretque postea Celebrans orationem de Sanctissimo Sacramento, & orationem de Sancto Titulari sub una & eadem Conclusione; sed incensaret prius Sanctissimum Sacramentum interea dum cantaretur Antyphona. (x) Quodsi Sacrum Celebraturus esset eodem in loco, sacras vestes indueret sub tempus Antyphonæ nec orationem diceret in fine; Clerus autem salutato ut dictum est Altari collocaret se statim quisque suo ordine penes Scamna Chori: si in ea Ecclesia quæ visitatur Officium Divinum interea caneretur, aut Organa pulsarentur, Clerus Processionis contineret se in silentio; vel si commodum foret, voce mediocri recitarent Cantores Antyphonam & versiculum de Sancto Titulari, & eodem modo Celebrans orationem. 6to. Peractis omnibus, Processionis cantus qui fuerat interruptus resumitur, reditque Processio eodem ordine quo ante: factâ prius

(u) Bauldr. *supr. num. 20.* Castald. *supr.* (x) Bauldr. *supr.* Castald. *supr. num. 18.*

Y 5 ab

ab omnibus discedentibus insimul genuflexione, eis solis exceptis, qui adveniendo non genuflexerunt.

XVI. In reditu Processionis 1mo. omnes eandem exhibent Altari reverentiam quam in principio tum quilibet locum suum in Choro consuetum petit, nisi Celebrans in Processione Sanctissimum Sacramentum tulisset, daturusque esset benedictionem, tunc enim permaneret Clerus flexis genibus circumcirca Altare. 2do. Thuriferarius, Crucifer & Acolythi, collocant se ante medium Altaris ut ante; hi tres posteriores nullam exhibent reverentiam, sed Thuriferarius tum quo ad reverentiam, tum quo ad situm, conformat se reliquo Clero. 3tio. Finito Hymno vel responsorio quod tunc decantatur, finitoque versiculo, Celebrans stando junctis manibus *Dominus vobiscum* & Orationem dicit, si nullæ aliæ preces immediate subjungendæ sint, [y] interim Sacri Ministri si adsint, vel Capparii librum sustinent ante illum. 4to. Si preces quæ in reditu Processionis canendæ sunt, longiores sint, Crucifer & Acolythi postquam pervenerint ante medium Altaris, conferunt se nulla præmissa salutatione ad credentiam, ubi Acolythi depositis candelabris, conformant se deinceps cæteris, Crucifer vero relictâ Cruce in quodam loco propinquo transferet se ad sinistram Celebrantis ut librum sustentet unâ cum Diacono; sed si alius adfuerit Subdiaconus, tunc ille qui Crucem ferebat penes credentiam manet, & in fine ipse

(y) Bauldr. *supr.* Castald. *supr.*

Cru-

Crucem suam, Acolythi vero candelabra sua acaccipiunt ut in Sacristiam revertantur. 5to. Si post ingressum in Ecclesiam nondum essent completæ Litaniæ, eas ad finem perduceret Chorus flexis genibus cum Psalmo *Deus in adjutorium &c.* quem intonare Celebrans & Chorus alternatim prosequi debet, dicitque postea Celebrans versiculos genua flectens usque ad *Dominus vobiscum*, [z] quos cum sequentibus orationibus stando recitat, aliis interim genua flectentibus. 6to. Postquam acta sunt omnia, in Sacristiam omnes eô, qui inter Processionem servatus est, ordine revertuntur.

XVII. Adverte 1mo. decantari sub tempus Processionis Antyphonas, Hymnos, Psalmos, Cantica vel Litanias, prout in Rituali præscriptum est, Antyphonas & Responsoria intonant Cantores & ea prosequitur Clerus; sed Responsoriorum Versiculi cum *Gloria Patri &c.* à solis Cantoribus dicuntur. Psalmi & Cantica ab iisdem intonantur Cantoribus, & recitantur postea alternatim à Clero, sicut in Officio Divino: quo circa notandum venit, quod qui sunt ad dextram primum Chorum, qui vero ad sinistram secundum componere censentur; quâpropter si primus Psalmi versus à Cantoribus intonatur usque ad mediationem dumtaxat, ab illis complendus est qui dextram occupant; sed si Cantores integrum versum intonent ad toni modum cæteris dandum, juxta dicta in vesperis Solemnibus part.

(z) Merat. *sect. VI. cap. XVI. de Litaniis Major. & Minor.* Ritual. Roman. *de Process.* Braulion. *part. 3. cap. 15. num. 8.*

3. art.

3. art. 1. num. 7. tunc ab iis qui finiſtram occupant cantandus eſt ſequens verſiculus. Quod vero ad Hymnos attinet Cantores ſemper inchoant ſtrophas, quas cæteri omnes inſimul ad finem uſque proſequuntur; iidem Cantores quemlibet verſum Litaniarum intonant, & omnes eum complent: [a] recitatiſque Litaniis uſque ad preces excluſive, adduntur ſi opus ſit, Pſalmi aliquot Pœnitentiales vel Graduales. Si caſu quo injuncta fuerit Proceſſio ob cauſam pœnitentiæ, vel ob aliquam publicam neceſſitatem, tunc nunquam datur locus Hymnis aut Canticis lætitiæ. (b) Ad verſum *Gloria Patri* & ad ultimas Hymnorum ſtrophas in quibus mentio fit trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, caput omnes aperiunt, ſed non inclinant ſe dum incedunt; detectô quoque capite ſunt Cantores, dum aliquid ipſi ſoli intonant vel cantant; verum tamen etſi ſingulos intonent ſtrophas, nonniſi ad primam caput aperiunt.

XVIII. Adverte 2do. Cum deferuntur in Proceſſione inſignes quædam Reliquiæ vel Imagines Sanctorum ſolemniori cum apparatu, ut fit in eorum translatione &c. ferendas illas eſſe ſub aliquo baldachino, vel à Celebrante ſi commode valeat, vel à duobus Presbyteris pluvialibus aut Diaconis dalmaticis indutis Celebrantem immediate præcedentibus. [c] Thuriferarii duo, & ex

(a) Ritual. Rom. *de Proceſs.* Braulion. *part.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. (b) Ritual. Roman. *ſupr.* Braulion *ſupr. num.* 6. Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 10, *cap.* 7. *num.* 3. (c) Braulion. *ſupr. cap.* 20. *num.* 2. Caſtald. *ſupr. cap.* 4. Bauldr. *part.* 2. *cap.* 15.

utra-

utraque parte Faciferi præeunt ſicut in Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti: illas Celebrans incenſat tribus thuribuli ductibus ante diſceſſum, & totidem poſt reditum, ſtando & inclinando ſe profunde antea & poſtea; ſed antequam ad illarum thurificationem procedat, flexis genibus orat aliquandiu cum cæteris omnibus: (d) ſimiliter quando venitur ad aliquam Eccleſiam, ubi inſignes alicujus Sancti Reliquiæ vel Imago ſolemniter expoſitæ ſunt, quam ob rem fit Proceſſio, fuſâ breviter oratione flexis genibus, erigit ſe Celebrans & Reliquias vel Imaginem thurificat uti dictum eſt, illo temporis intervallo quo Antyphona vel Reſponſorium de Sancto canitur.

XIX. Adverte 3tio. Quod in Proceſſionibus pro gratiarum Actione Celebrans poſt factam infra gradus Altaris impoſitionem & benedictionem incenſi, eodem in loco intonet Hymnum *Te Deum laudamus* fiatque deinceps Proceſſio, in qua ſubduntur Pſalmi præſcripti in Rituali Romano, omnes vel aliqui prout longitudo Proceſſionis poſtulaverit: [e] in fine poſt reditum ad Eccleſiam dicuntur ante Altare Verſus & Orationes prout in Rituali Romano; ad quas ſtare debent omnes. [f] At ſi ſolemniter dicendus ſit iſte Hymnus abſque Proceſſione, in Chorum venit Celebrans cum ſuis Officialibus factaque brevi Oratione in ultimo gradu Altaris intonat illico ante Altare *Te Deum laudamus* quô fini-

(d) Bauldr. *ſupr.* (e) Ritual. Roman. *de Proceſs.* Caſtald. *ſupr, cap.* 5. (f) Braulion. *ſupr.*

to

to cærerisque absolutis revertitur ad Sacristiam more consueto.

XX. Adverte 4to. Quod cum Processio Ecclesiæ Cathedralis aut principalis loci pergit ad aliam Ecclesiam, Clerus istius, illi obviam ire debeat extra templum cum cruce, si ferat consuetudo [g] perveniensque ad locum, ubi suscipienda est, ordinet se hoc modo; Crucifer & Acolythi sistunt se primi, cæteri omnes qui sequuntur ulterius progredientes, collocant se secundum illorum ordinem, minus digni propinquiores Cruci ut postea proficiscantur primi, digniores vero magis sint à Cruce remoti, juxta ordinem quem servant in incessu. Ubi primùm Processio, cuì obviam eunt, ipsis adjuncta est, deducunt eam præcedentes usque ad ipsum templum, quod cum ingressi fuerint, constituunt se hinc & inde, minus digni versus portam, digniores vero versus medium; inter illos ita utrinque collocatos transit Clerus Processionis: atque post Antyphonam & Orationem de Sancto Titulari decantatam, Processionem eodem modo reducunt, illam præcedendo ad locum usque designatum, ubi sistunt se ut ante, stantque donec inter illos tota transierit. Si Processio sit Solemnis & in Altari sit exposita insignis Reliquia aut Imago aliqua celebris propter quam fit Processio, decet ut prius à Celebrante Processionis stante, dum cantatur Antyphona triplici ductu incensetur cum solitis reverentiis ante & post, sed prius imponitur & benedicitur incensum in thuribulo de

(g) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 32.

mor

more (h) hoc item fieri decet quando in Altari expositum est SS. Sacramentum; sed hæc incensatio fit tunc à Celebrante genuflexo absque benedictione incensi.

ARTICULUS XII.
de Absolutione pro Defunctis.

PRimo cum facienda est Absolutio pro Defunctis post Missam solemnem, Celebrans finito Evangelio Sancti Joannis accedit cum Sacris Ministris per breviorem viam ad cornu Epistolæ, salutatque cum illis, ut par est Altare transeundo per medium; descendit postea per gradus laterales in planum, (i) Casulam & manipulum exuit, induiturque pluviali à suis Ministris, qui suos eodem in loco manipulos deponunt. [k] Interim ad credentiam venit Thuriferarius thuribulum ferens cum navicula, alter Clericus accipit ex credentia vas Aquæ benedictæ cum aspergillo intus reposito, ambo Acolythi candelabra sua apprehendunt, Subdiaconus Crucem processionalem, quam ita tenet, ut effigies crucifixi aversa sit ab ipso. [l]

II. Quando Celebrans accepto byreto suo abiturus est, Thuriferarius & Minister aquæ benedictæ ad ejus sinistram, quos sequitur Subdiaconus cum Cruce medius inter Acolythos, è Cre-

(h) Bauldr. *part.* 2, *cap.* 14. *num.* 23. Castald. *supr. supr. num.* 14. (i) Merat. *part.* 2. *tit.* 13. *de his quae omitt. in Miss. pro Defunct.* (k) Merat. *supr.* Bauldr. *part.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. Cærem. Episc. *lib.* 2. *c.* 37.
(l) Gavant. & Merat. *supr.* Bauldr. *supr.*

den-

dentia conferunt se ad medium Presbyteri, ibique perstant facie versa ad Altare; eodem tempore ad medium Altaris aperto capite progreditur Celebrans, quem Diaconus à latere sinistro comitatur, Cæremoniarius vero Missale deferens præcedit, illuc pervenientes Altare in plano congrua salutatione venerantur omnes, præter Subdiaconum & Acolythos, à quibus tunc nec inclinatio ne genuflexio ulla fit. (m)

III. Vertit se postea Celebrans ad Chorum, tegitque caput [n] & omnes eodem ordine procedunt ad feretrum, vel ut ajunt repræsentationem funebrem, ubi ordine sequenti collocant se; Thuriferarius & Minister aquæ sistunt se tumulum inter & Altare, recedendo aliquantulum ad partem Epistolæ, Subdiaconus & Acolythi ulterius procedunt ex parte Evangelii locumque occupant in fine tumuli ex opposito, ita ut sint inter Ecclesiæ portam & tumulum ubi faciem vertunt ad Altare intervallo quatuor vel quinque pedum distantes à feretro, ut Celebrans Diaconusque circumcirca transire possint, ad incensationem & aspersionem; Celebrans autem cum Diacono ad ejus sinistram, collocat se paulisper in parte Epistolæ ex opposito Crucis quam tenet Subdiaconus mediante tumulo inter illum & istum; (o) nisi fiat absolutio præsente Corpore seu cadavere, quo casu Subdiaconus cum Cruce collocabitur

(m) Merat. *supr.* Bauldr. supr. (n) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 11. Gavant. & Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (o) Gavant. & Merat. *supr.* Ritual. Roman. *de Exequiis.* Cærem. Episc. *supr.* Bauldr. *supr.*

locabitur ad caput defuncti quicunque ille sit, prout in Rituali Romano, & Celebrans cum Diacono ad pedes defuncti, non vero loci. (p) Si repræsentatio illa seu tumulus sit intra Chorum necesse non est ut Clerus exeat ex scamnis ut circumstet tempore absolutionis; (q) sed si fuerit in navi seu in medio Ecclesiæ, qui Choro intersunt Crucem sequi debent bini & bini salutato priùs congruenter Altari, & perveniendo ad locum ita se collocant, ut minus digni sint viciniores Cruci, digniores verò propè Celebrantem.

IV. Porro situm diversum in Ecclesia obtinent corpora Defunctorum; namque Corpora Sacerdotum ita disponuntur ut Caput sit ex parte Altaris quasi respiciens fores Ecclesiæ vel populum; è contra cæterorum hominum qui Sacerdotes non sunt, caput convertitur versus portam, quasi Altare respiceret; quod etiam in sepeliendo corpore servandum est. [r]

V. Statim atque Celebrans ad feretrum sive represationem pervenit, caput detegit, & incipiunt Cantores, *Libera me Domine* &c. quod Clerus prosequitur; postea canunt illi soli sequentes versiculos; Clerus vero post quemlibet versiculum responsorii ea verba repetit, quæ in Rituali notata sunt.

VI. Circa finem *Libera* &c. Diaconus ad dexteram Celebrantis transfert se cum Thuriferario, & ambo dum transeunt à tergo illius genuflectunt Altari; postea Diaconus accepta navicula

(p) Cærem. Episc. *supr.* Ritual. Roman. *supr.* Gavant. *supr.* (q) Merat *supr.* Bauldr. *supr.* (r) Ritual. Roman. *supr.*

cochlear sine osculo porrigit Celebranti, à quo thus de more imponitur ac benedicitur, loca sua repetunt post modum Diaconus & Thuriferarius Altari ut antea salutato. (s)

VII. Completo Responsorio, Cantor unus cum primo Choro dicit *Kiryeleyson* Cantor alter cum secundo Choro respondet *Christe eleyson* & omnes insimul addunt Kiry eleyson [t] postea clara voce profert Celebrans *Pater noster* cæteraque secreto prosequitur cum omni Clero, byretum suum tradit Diacono, iste vero tradit illud Cæremoniario; deinde Diaconus accepto aspergillo Celebranti ministrat illud sine osculo, tum ambo cæteris Officialibus in loco suo permanentibus Altare primum debita salutatione venerantur, (u) deinde Diacono Celebrantis dextram Pluvialis partem anteriorem sublevante, circumeunt representationem seu tumulum, quem ter Celebrans ex qualibet parte laterali aspergit in tribus locis diversis, incipiendo ab ille parte, quæ dextræ suæ correspondet; (x) dumque Crucem quam tenet Subdiaconus prætereunt, inclinat se profunde Celebrans, Diaconus vero genuflectit illi. [y]

VIII. Aspergillum sine osculo Diaconus à Celebrante recipit in eodem loco ubi illud ei porrexerat, & acceptum illicô tradit Acolytho, deinde à Thuriferario thuribulum accipiens, illud eodem modo Celebranti ministrat, quo antea aspergillum; tunc salutato Altari ut ante, Celebrantem comitatur Diaconus dextrum latus Pluvialis sublevans, interea ille ex qualibet parte ita tumulum thurificat, ut aspersit, & ambo Crucem Subdiaconi transeundo salutant ut supra. [z]

IX. Peracta thurificatione Celebrans salutato Altari thuribulum Diacono & Diaconus Thuriferario reddit postea vertens se ad Crucem cum Diacono à sinistris sicut ante, dicit elatà voce junctis manibus. (a) *Et ne nos inducas in tentationem* cum sequentibus versiculis & oratione. *Absolve* &c. quam legit in Missali, Diacono illud tenente paululum tamen à sinistris ejus [b] addensque postea *Requiem æternam dona eis Domine* signum crucis efformat super feretrum; [c] tum Cantores canunt in plurali *Requiescant in pace* Chorus respondet *Amen*; & omnes sicut venerunt, ita revertuntur, Altare salutantes, si prætereant illud. Caput tegit Celebrans, statim post finitam absolutionem, Diaconus post salutatum Altare, sed cæteri omnes manent aperto capite. Ad absolutionem defuncti præsente corpore omnia mox relata servantur, præter orationem, & ea quæ sequuntur ut infra art. 13. num. 21. sed etiamsi in funere defuncti alicujus Sa-

(s) Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (t) Ritual. Roman. *supr.* Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (u) Rubric. Missal. *de his quae omitt. pro Defunct.* Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (x) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 11. Pontifical. Roman. *tit. de Off. solen. post Miss. pro Def.* Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (y) Cærem. Episc. *supr.* Rubr. Miss. *supr.* Merat. *supr.* Bauldr. *supr.*

(z) Rubr. Miss. *supr.* Cærem. Episc. *supr.* Pontifical. Roman. *supr.* (a) Merat. *supr.* (b) Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (c) Rubr. Miss. *tit. de his quae omitt. pro Defun.* Merat. *supr.* Bauldr. *supr.*

cerdotis feretrum sit Celebrantem, inter & Altare, Crux vero è regione inter Altare & feretrum ex supradictis num. 4to, Celebrans nihilominus in loco unde ei cedit, debitam Altari reverentiam semper exhibet, tam ad aspersionem, quam ad thurificationem: Tumulum incipit circuire per partem dextræ suæ correspondentem salutatque tantummodo Crucem dum illam prætcrit.

X. Quando fit absolutio pro pluribus defunctis versiculi omnes cum oratione dicuntur in plurali: si pro femina in genere feminino, si pro Sacerdore vel Episcopo aut Cardinali, exprimuntur in oratione post nomen proprium dignitatis tituli. [d] Dici quoque potest loco orationis *Absolve*, oratio quæ ad Missam dicta est aut alia competens, prout in Rituali conceditur, tametsi oratio illa ex qua nomen suum sortita est absolutio, cæteris omnibus vulgò præponenda sit: at vero in absolutione quæ fit in exequiis præsente corpore dicenda est oratio *Deus cui proprium est* &c. prout habetur in Rituali. [e]

XI. Etsi sub tempus absolutionis in aliquo altari sito ad conspectum Cleri fieret elevatio Sanctissimi Sacramenti, complerent nihilominus, absque ulla interruptione Celebrans & ejus Ministri actionem incæptam, nec à cæteris Responsorii cantus interrumperetur; atque adeo starent omnes aperto capite sicut ante, nec se verterent, juxta id quod in simili casu dictum est, art. 4to. num. 15. solum cavere debent ut quantum fieri

(d) Ritual. Roman. *supr.* (e) Ritual. Roman. *supr.*

ri potest Sanctissimo Sacramento terga directè non vertant; sed ad viam præcludendam huic incommodo, expedit, ut per id tempus nullæ celebrentur Missæ in vicinis Altaribus, sed si forte aliquam celebrari contingat, non debet tunc temporis Minister sacri, pulsare tintinabulum ad elevationem. [f]

XIII. Adverte 1mo. Absolutionem istam ordinarie fieri in solemnioribus dumtaxat Missis *de Requiem*: ut in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum 2da Novembris, in die Obitus, vel depositionis defuncti, nec non 3. 7. & 30. die post Obitum, & in Anniversario juxta Rituale Romanum; [g] vel etiam quando obligatio est ratione cujusdam fundationis, aut alterius tituli.

XIII. Adverte 2do. quod feretrum in quo requiescit corpus defuncti cujuscunque sit conditionis, sicut & tumulus seu representatio funebris juxta Rituale Romanum, collocari debeant in medio templi: (h) sed in iis locis ubi navis Ecclesiæ à Choro separatur interpositis cratibus aut Cancellis, praxis est universalis ut Corpora Sacerdotum, & cæterorum Clericorum exponantur in Choro, ibique eorum extruatur tumulus seu representatio; Laicorum verò in navi Ecclesiæ ante effigiem Crucifixi superpositam, cancellis aut cratibus Chorum à navi separantibus; idem dicendum de illorum tumulo seu representatione; nisi commode extrui posset in loco Sepul-

(f) Gavant. & Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (g) Ritual. Roman. *supr.* (h) Ritual. Roman. *supr.*

turæ: verum quando Officium fit generatim pro defunctis, intra Chorum debet esse representatio sive tumulus. [i]

ARTICULUS XIII.
De Exequiis seu Sepulturis.

I. ANtequam terræ mandetur corpus defuncti feretro imponendum est, & in aliquo inferiori conclavi seu alio commodo loco exponendum, cum sex, aut quatuor ardentibus cereis circumcirca positis, (k) cum Cruxifixo ad caput, & vase lustrali ad pedes, quos oportet semper esse versus portam, Sacerdos aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus vestibus suis quotidianis communibus tum desuper sacro vestitu Sacerdotali vel Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit indui debet: Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, Stola & Casula, seu planeta violacea sit indutus. (l) Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, Stola super humerum sinistrum, & dalmatica violacea; Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo, & tunicella; alii præterea inferiorum Ordinum Clerici Superpelliceo supra vestem talarem ornari debent singuli cum byrethis ac cruce inter manus. Ab obitu defuncti usque ad illud tempus quo Clerus venit pro tollendo Corpore; conveniens admodum est ut in

(i) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 11. (k) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 38. Bauldr. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. (l) Ritual. Roman. *supr.*

eodem loco intersint qui pro anima illius Officium defunctorum recitent; (m) aut alias fundant preces.

II. Quando advenit tempus eundi ad tollendum corpus, id est post duodecim saltem horas ab Obitu, vel etiam post vigintiquatuor si defunctus morte subita præventus fuerit, secundum acta Ecclesiæ Mediolanensis, & Ritualia multorum Diœcesum: congregat se Clerus, induunt omnes superpellicea, & Celebrans insuper stolam, aut etiam pluviale nigrum [n] fusaque ab omnibus brevi oratione, procedunt per breviorem viam in locum ubi expositum est Corpus hoc ordine: Clericus vas lustrale cum aspergillo intùs posito deferens incedit primus, hunc sequitur Subdiaconus aut alius simplex Clericus superpelliceo tantum indutus, qui fert Crucem comitantibus eum Acolythis cum cereis suis ardentibus, si consuetudo ferat ut isti Crucem comitentur; [o] ut conveniens est quamvis nulla sit de hoc in Rituali mentio; reliqui ex Clero subsequuntur bini & bini quomodo dictum est supra art. 11. num. 4. procedentes in silentio, tandem incedit Celebrans tecto capite, cæteri caput tunc primum tegunt, quando sunt extra limen Ecclesiæ; sed quatuor primi non tegunt se nisi longum sit iter, tempusve infestum.

III. Pervenientes in locum ubi corpus jacet Crucifer & Acolythi collocant se ad caput defuncti prout locus permittit, constituit se postea

(m) Cærem. Episc. *supr. num.* 15. (n) Ritual. Roman. *supr.* (o) Bauldr. *supr. num.* 2.

Clerus hinc & inde; ita ut minus digni propiores sint Cruci, cui omnes aperto prius capite, inclinant se profunde bini & bini; collocat se Celebrans ad pedes defuncti è regione Crucis, quam salutat ut alii, & Minister aquæ benedictæ parumper à tergo Celebrantis & ad ejus dexteram. Quodsi locus Clerum capere non posset, starent Crucifer & Acolythi ad portam, & Clero utrimque ordinato, Celebrans cum Ministro aquæ benedictæ & Cæremoniario accederet ad corpus; interea Cerei, & faces si adsint distribuuntur, ac illico accenduntur. [p]

VI. Celebrans cum pervenit ad Corpus, aspergillum recipit quod ipsi à Cæremoniario porrigitur sine osculo, aspergitque Corpus ter in eodem loco, (q) & in silentio, deinde reddito aspergillo dicit clara voce antyphonam *Si iniquitates* &c. quæ non duplicatur, & Cantores duo inchoant statim Psalmum *De profundis* eodem tono absque cantu, & Clerus in duos Choros sibi oppositos distributus illum alternatim prosequitur, addendo in fine *Requiem æternam* &c. quæ verba in duos versiculos dividuntur & efferuntur in numero singulari [r] quanquam in fine Psalmorum Officii, versus ille dicatur semper in plurali. [s]

V. Intonatur post modum à Celebrante Antyphona *Exultabant Domino* quæ pariter non duplicatur, sed illico à duobus Cantoribus inchoatur Psalmus *Miserere* &c. qui ab omni Clero al-

(p) Ritual. Roman. *supr.* Bauldr. *supr.* (q) Bauldr. *supr.* (r) Ritual. Roman. *supr.* (s) Ritual. Roman. *de Offic. Defunct.*

terna-

ternatim canitur distinctè ac morosè: postea tecto capite progrediuntur ad Ecclesiam eo ordine quo venerant: faciferi si adsint antecedunt Corpus. Si Exequiis adsint quædam Confraternitates, aut Religiosi Ordines, cum inter se servant ordinem, quem & in aliis processionibus, secundum ea, quæ dicta sunt superius Art. 11. num. 13. Celebrantem immediate sequuntur bajuli corporis, demum Consanguinei, & amici defuncti sequuntur bini & bini in silentio & Deum orantes: qui præcedunt lentissimo passu progredi debent à limine domus, in qua Corpus erat ut bajuli Clerum sequi facile possint.

VI. Adverte 1mo. Corpora Laicorum cujuscunque sint conditionis bajulanda esse à Laicis non ab Ecclesiasticis, quod expresè mandatum est in Rituali Romano (t) Corpora vero Clericorum à Clericis & quantum fieri potest ab iis qui sunt ejusdem Ordinis; sed tam istorum quam illorum pars feretri, in qua sunt pedes, anteferatur, licet in Ecclesia alius fit situs pro corporibus Sacerdotum, & alius pro corporibus eorum, qui Sacerdotes non sunt, ut dictum est num 4. Art. super. 2do. Quodsi Corpus defuncti jaceret in domo procul dissita ab urbe vel pago ubi Ecclesia est & locus Sepulturæ, sufficeret Clero corpus susceptum ire aliquot passus extra Civitatem aut pagum servando dicta Superius. Num. 3. & 4.

VII. Si ob longiorem viam Psalmus *Miserere* non sufficiat, addi possunt Psalmi Graduales. *Ad Dominum cum tribularer* &c. vel alii desumpti

(t) Ritual. Roman. *de Exequ.*

Z 5 ex

ex Officio defunctorum (u) diciturque in fine cujusque Psalmi *Requiem æternam dona ei* &c. (x) Cum pervenitur ad fores Ecclesiæ etsi nondum totus finitus sit psalmus, inchoatur nihilominus versus *Requiem æternam dona ei Domine* &c. & repetitur Antyphona *Exultabunt Domino ossa humiliata*. Deinde postquam ingressus fuerit Ecclesiam Clerus cantatur Responsorium *Subvenite*, quod intonant Cantores, & prosequitur Clerus; ab iisdem Cantoribus cantantur postea versiculi, respondente Clero prout dicitur in Rituali. [y]

VIII. Corpus deponitur in medio chori si qui defunctus est Clericus erat: vel in medio navis si laicus erat; prout annotatum est num. 13. Superioris articuli: atque solis Sacerdotibus caput obvertitur versus Altare; circa corpus quatuor adminimum ardentes cerei collocantur: Crucifer sistit se ad caput defuncti, Celebrans vero ad pedes; (z) Clerus ordinat se hinc & inde, ita ut minus digni sint propinquiores Cruci; manentque ita omnes conversi facie ad faciem usque ad finem Responsorii. Verum tamen quando depositum est in Choro Corpus defuncti, qui Clerum componunt Altare bini & bini salutantes, possunt è vestigio recipere se intra scamna, si continuo celebrandum sit Officium vel Sacrum pro defuncto; tuncque necesse non est ut deinceps pro Absolutione descendant. (a)

IX. Finito Responsorio Clerus progreditur in

(u) Ritual. Roman. *supr.* Bauldr. *supr. num. 6.* (x) Ritual. Roman. *supr.* (y) Ritual. Romau. *supr.* (z) Cærem. Episc. *supr.* Ritual. Roman. *supr.* (a) Merat. *supr.* Bauldr. *supr.*

Cho-

Chorum si jam ibi non erat, & unusquisque cereum suum extinguit. Interea dicitur Officium defunctorum cum tribus nocturnis & laudibus: inchoatur ab Invitatorio, & omnes Antiphonæ duplicantur (b) sicut notatum fuit part. 3. art. 7. Sed si propter legitimum quoddam impedimentum vel ob usum loci, tria nocturna non dicantur, primum saltem dici debet cum laudibus; vel etiam sine illis si tempus urgeret: in quo casu nocturnum oporteret concludere, recitatione precum quæ sequuntur antyphonam *ad Benedictus*. [c]

X. Post laudes, si per tempus liceat, celebrandum semper est sacrum pro Defunctis: eam obrem Celebrans, Diaconus & Subdiaconus, eunt ut sacris se induant in fine Laudum. Missa dicitur ut die obitûs nempè secunda; sed pro Sacerdote dici potest prima ex illis quatuor quæ in Missali positæ sunt cum oratione propria *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes* ut dictum est Part. 1. Art. 12. num. 5. in eaque observantur Cæremoniæ omnes præscriptæ in Missa solemni de *Requiem* Part. 2. Art. 11. Qui choro intersunt cereos accensos solum habent tempore Evangelii [d] & ab elevatione usque post Communionem, & à principio absolutionis, ad finem usque sepulturæ; quapropter unus vel duo Cle-

(a) Merat. *supr.* Bauldr. *supr.* (b) Ritual. Roman *supr.* (c) Ritual. Roman. *supr.* Bauldr. *supr. num. 20* (d) Rubric. Missal. *de his quae omitt. in Missi pro defunct.* Gavant. & Merat. *Part. II. Tit. XIII. de hisque omitt.*

rici

rici ex Choro designantur ad accendendos Cereos cæterorum paulo ante illud tempus.

XI. Celebrata Missa, Celebrans deposita casulâ & manipulô acceptoque Pluviali nigri Coloris, vadit cum suis Ministris ad Absolutionem ante loculum peragendam, quemadmodum Articulo superiori dictum est, ubi recitat elatâ quidem voce sed absque cantu junctis manibus & aperto Capite, Orationem *Non intres in judicium cum servo tuo Domine* &c. quæ immutari non debent, unde etiamsi defunctus sit fæmina, vel sint plures defuncti, non dicitur *cum serva tua Domine*, vel *cum servis tuis* ita declaravit S. Rituum Congregatio die 31. Augusti 1697. [e] Canitur deinde Responsorium *Libera me Domine de morte æterna* &c. Circa finem Responsorii Diaconus cum Thuriferario gerit se ut dictum est Art. præcedenti num. 5. quo finito Cantor cum primo choro dicit *Kyrie eleyson*, & secundus Chorus respondet *Christe eleyson*, deindè omnes simul canunt *Kyrie eleyson* (f) mox Celebrans dicit alta voce *Pater noster* &c. & ea servantur quæ dicta sunt Art. 12. n. 7. & 8. [g] postea dicit Celebrans versiculos & Orationem, *Deus cui proprium est* &c. quâ finitâ nullum addit versiculum, si tunc sepeliendum sit corpus, sed defertur ad sepulchrum eo ordine & modo quo ad Ecclesiam translatum est; Celebrans illico tegit se, cæteri verò nonnisi post egressum ex Ecclesia. Interim à Cantoribus intonatur Antyphona *In Pa-*

(e) Vid. Merat. *in Indic. Decret.* (f) Ritual. Roman. *supr.* (g) Ritual. Roman. *supr.* Baudlr. *supr.*

radi-

radisum quam Clerus lente canendo complet in via, repetitque si opus fuerit. (h) Quodsi locus Sepulturæ procul distaret, addi possent quidam ex Psalmis gradualibus, aut pœnitentialibus, vel de Officio defunctorum. [i]

XII. Cum perventum est ad fossam detegunt se omnes si tecto erant capite, & ex ordine collocant se ut dictum est superius num. 3. & 8. relinquntque spatium pro corpore; bajuli debent illud deponere juxta fossam ita, ut pedes sint versus orientem, aut versus Altare, si sepeliatur in Ecclesia; si vero Sacerdos sit caput ponitur versus Altare, & pedes versus alteram partem Ecclesiæ; cunctis ita dispositis, finitoque cantu, benedicit Celebrans sepulchrum recitando orationem *Deus cujus miseratione* &c. quæ semper dicenda est etiam si locus Sepulturæ fuerit in templo vel in cæmeterio (l) nisi jam benedictum fuisset sepulchrum, sive paulo ante Officium, sive alias, quod agnoscere est, si ponatur Corpus in fornice, ubi alia multa jam sepulta sunt.

XIII. Post Orationem Thuriferarius naviculam dat Diacono, Diaconus vero cochlear porrigit Celebranti, à quo de more benedicitur incensum, postea thuriferarius accepta navicula parumper retrocedit cum thuribulo suo; tumque Minister aquæ benedictæ tradit aspergillum Diacono, quod iste Celebranti ministrat, Celebrans stans in eodem loco ter aspergit, primo Corpus defuncti, deinde sepulchrum, vel fossam totidem vicibus; mox reddito aspergillo, & acce-

(h) Ritual. Roman. *supr.* (i) Bauldr. *supr.* (l) Ritual. Roman. *supr.*

pro

pto thuribulo ter quoque incensat primo Corpus, postea sepulchrum vel fossam totidem vicibus; [m] atque per id omne tempus nihil dicitur; sed statim ac Celebrans thuribulum reddidit, intonat Antyphonam *Ego sum* &c. quæ non duplicatur sed extemplo inchoant Cantores canticum *Benedictus* quod Clerus prosequitur alternatim capite detecto ut ante.

XIV. In fine Cantici additur *Requiem æternam* &c. postea repetitur Antyphona, quam intonant Cantores & cæteri cum illis usque ad finem prosequuntur: post Antyphonam profert alta voce Celebrans sequentia verba *Kyrie eleyson* respondet Clerus *Christe eleyson* additque Celebrans *Kyrie eleyson· Pater noster*, quod ab omnibus dicitur totum secreto; Interim Celebrans accepto iterum è manibus Diaconi aspergillo, Corpus ter aspergit (n) sed non thurificat, aspersum Corpus in fossam demittitur, & à Celebrante dicuntur eodem tono quô ante, *Et ne nos inducas in tentationem* &c. cum assignatis versiculis & oratione: nullumque signum Crucis manu efformat Celebrans dum absolvit hæc verba: *Anima ejus & animæ* &c. sed Celebrans inchoat quam primum tono recto Antyphonam *Si iniquitates* (o) & à Cantoribus intonatur sine cantu Psalmus *Deprofundis* quem pergit Clerus alternatim recitare dum ad Ecclesiam vel Sacristiam revertitur; cereis eodem tempore ab omnibus extinctis, tandem completo Psalmo *Deprofundis* additur

(m) Bauldr. *supr. num.* 12. (n) Ritual. Romen. *supr.* (o) Ritual. Roman. *supr.*

versus

versus *Requiem æternam* &c. repetiturque Antyphona *Si iniquitates* &c. In aliquibus Ecclesiis præscribitur, ut finita Oratione & aliis à Celebrante dum perficitur sepultura canatur per Clerum *Salve Regina* &c. (p)

XV. Si plurimorum defunctorum insimul celebrarentur Exequiæ dicerentur quidem versiculi, & orationes in plurali, sed actiones, ut sunt aspersiones & incensationes, fierent supra unumquodque corpus seorsivè, fossæ quoque benedicerentur separatim, si in diversis locis sepelienda forent, sed si in eodem sepulchro una benedictio sufficeret. (q)

XVI. Si completo Officio Defunctorum, dictaque Oratione *Deus cui proprium est* &c. in absolutione post Missam, non esset tunc deferendum corpus ad sepulchrum, prætermittenda tantum foret Antyphona *In Paradysum* cum sequenti Oratione dici solita ad benedictionem sepulchri; continuaretur que Officium; quare Celebrans intonaret Antyphonam *Ego sum* & intonarent Cantores Canticum *Benedictus* quod Clerus alternatim caneret stans in eodem loco ubi ante: cæteraque peragentur uti dictum est n. 14. (r)

XVII. Quando Exequiæ illo tempore fiunt quo Missa defunctorum non potest celebrari, Celebrantem tunc non comitantur sacri Ministri cum suis ornamentis; sed solum alii solo superpelliceo ornati, quod etiam servatur quotiescunque Absolutio fit post Missam absque Diacono & Sub-

(p) Ritual. Sacrament. ad usum Ecclesiar. Regni Polon *tit. ordo Exequ. brev.* (q) Ritual. Roman. *supr.* Bauldr. *supr. num* 16. (r) Ritual. Roman. *supr.*

dia-

diacono celebratam: [s] porro in his caſibus Cæremoniarius Celebrantem adjuvat in deponenda caſula cum manipulo, & induendo pluviali ſi poſt Miſſam id contingat; deinde miniſtrat illi quando facienda eſt benedictio incenſi cochlear primum, mox aſpergillum, ac denique thuribulum; inceditque poſtea ad ejus dexteram dum loculi fit aſperſio, & thurificatio; eodem modo ſe gerens quo ſe gerit Diaconus in ſimili caſu prout habetur Art. Superiori n. 7. 8. 9. at vero ſi nullus eſſet Cæremoniarius vices illius ſupplerentur à miniſtro aquæ benedictæ, qui trabeâ Celebrantem indueret, porrigeret illi aſpergillum, ſuſtineretque trabeam à latere, ſub tempus aſperſionis; relicto vaſe luſtrali in loco quodam vicino, Thuriferarius tàdem thuribulum præberet Celebranti poſt benedictionem thuris, illumque comitaretur eodem modo ad thurificationem depoſitâ alicubi naviculâ. In minoribus Eccleſiis curandum ut habeantur tres ad minimum Clerici ſuperpelliceis induti, quorum unus Crucem ferat, alter thuribulum cum navicula, tertius vas luſtrale cum Rituali.

XVIII. Si Exequiæ ſolemnes fiant abſente corpore dicitur Officium defunctorum cum tribus nocturnis, & laudibus: aut ſaltem unus nocturmus cum tribus lectionibus & laudibus, duplicando Antyphonas cum Invitatorio *Regem cui omnia* &c. poſtea celebratur Miſſa ut in die obitus & poſt Miſſam fit abſolutio ante tumulum, quomodo dictum eſt ſuperius cum Oratione pro-

(s) Bauldr. *ſupr. num.* 17. & 18. (t) Ritual. Roman. *ſupr.*

pria;

pria; prout in Rituali notatur. [u] Eodem modo Exequiæ fiunt non ſolum pro iis qui alibi defuncti ſunt, ſed etiam pro illis qui obierunt in eo loco ubi funus peragitur, cum ob aliquam cauſam non potuit ea die Sepultura fieri. Sic quoque celebrari poſſunt diebûs, tertiâ, ſeptimâ, et trigeſimâ poſt obitum, cum Oratione his diebus competenti; atque inſuper die Anniverſaria (x) cum Miſſa propria quæ tertia eſt inter eas quæ in Miſſali adſcriptæ ſunt pro defunctis.

XIX. Quando defunctus eligit ſibi ſepulturam in alio loco quam in Eccleſia Parochiæ in qua è vivis deceſſit, à Clero Eccleſiæ Parochialis fit levatio Corporis; quod poſtea deducitur ad templum Parochiale, ubi celebratur vel Miſſa de Requiem ſi tempus ferat, vel Officium Defunctorum? si hoc fiat poſt meridiem: poſtea Parochus cum Clero ſuo corpus deducit ad locum ubi ſepeliendum eſt; illudque ibi reddit Superiori hujus loci ſive in templo, ſive in limine, ſive alibi juxta locorum conſuetudinem: Superior iſtius Eccleſiæ indutus Stola vel etiam Pluviali ſupra ſuperpelliceum procedit cum ſuo Clero obviam uſque ad locum aſſignatum, ubi omnes ex ordine ſe collocant ita, ut Crucifer, Acolythi, deinde minus digni, diſtantiores ſint à proceſſione quæ corpus deducit; Superior verò cum miniſtro aquæ, poſtea digniores ex ipſius Clero propiores ſint eidem Proceſſioni advenienti: cum utraque Proceſſio juncta eſt, Parochus defuncti commendat illum brevi ſermone Superiori Eccleſiæ à quo

(u) Ritual. Roman. *de Offic. facien. in Exequ.* (x) Ritual. Roman. *ſupr.*

ſuſci-

suscipitur, si ea sit loci consuetudo; iste alterius sermoni congruè respondet, & aspergit postea Corpus quod è vestigio transfertur in Chorum quidem, & à Clericis, si is qui defunctus est Clericus fuerit; à Laicis vero & in medium navis Ecclesiæ si fuerit Laicus; interim intonant Cantores Responsorium *Subvenite* vel Antyphonam pro Infantibus, *Hic accipiet*, si defunctus sit infans: reliqua more consueto.

XX. Si per viam Corpus defuncti deponatur in aliqua Ecclesia, quod aliquando contingit, puta, cum in locum remotum ac dissitum transfertur corpus illustris cujusdam Personæ, Clerus ejusdem Ecclesiæ obviam it illi processionaliter ut dictum est supra, deferturque corpus ad medium templi canente Clero *Subvenite Sancti* &c. Deinde fit Absolutio cum Cæremoniis & precibus de quibus in Articulo Superiori. Jam verò si Corpus defuncti debeat aliquandiu permanere in hac Ecclesia donec alio transferatur canendū est Canticum *Benedictus* cum Antyphona *Ego sum resurrectio*, Versiculis sequentibus & Oratione *Fac quæsumus Domine*, &c. ut habetur supra n. 16.

FINIS TOMI PRIMI.

IN-

INDEX

ARTICULORUM

QUI CONTINENTUR

IN Ima. PARTE HUJUSCE LIBRI.

De Missa privata.

INDEX
ARTICULORUM
QUI CONTINENTUR
IN IIda. PARTE HUJUSCE LIBRI
de Missa Solemni.

INDEX
ARTICULORUM
QUI CONTINENTUR
IN IIItia. PARTE HUJUSCE LIBRI
de Officio Divino.

INDEX
ARTICULORUM
QUI CONTINENTUR
IN IVta. PARTE HUJUSCE LIBRI
de Variis Cœremoniis Particularibus

FINIS
INDICIS TOMI PRIMI.